EXPOSITIO SUPER CANTICA CANTICORUM. AUCTORE D. PETRO MARINA ..

Pietro : de Marina




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
36/MF
40



EXPOSITIO SVPER CANTICA CANTICORVM.

AVCTORE

D. PETRO MARINA

Sacerdote, & Sacræ Theologiæ Professore, Reginæ citerioris Calabriæ.

Ad vsum Cong. Sacerdot.







Dom. Prof. Rom.

ROMAE,
Typis Phillippi Mariæ Mancini. 1669.
SVPERIORVM LICENTIA.

FELICI
ABBATI
ROSPIGLIOSIO
SANCTISS. D. N.
CLEMENTIS IX.
EX FRATRE NEPOTI.




T dignoſceretur qua charitate Deus dilexerit Mũdum, dedit ei Vnigenitum ſuum, qui factus homo, hominumque Redemptor rediturus in Cœlum diſpenſatorem Myſteriorum, ac meritorum ſuo-


rum cũ plenitudine poteſtatis Vicarium ſuum reliquit in Terris. Et cum his fęlicibus diebus conceſſerit nobis Summum Pontificem CLEMENTEM IX. qui ſuo exemplo & exhortatione omnes ad Cœleſtia dirigit, ad eius cooperationem ſuper Cantica Canticorum præcipuũ pabulum ſenum, ideſt Sacerdotum vnà cum Sanctis Patribus interpretationem compoſui: Ne tamen paruitas Auctoris ea offuſcetur, Tibi, qui Tui Nominis luce ornare eam potes, dictam interpretationem ſuppliciter dedico, vt eius ditatam ſplendoribus ad Dei gloriam ipſa eluceat.


Indignus Seruus

Petrus Marina,

AD

AD LECTORES.





VM Verbum Diuinum (ex quo omnia) Naturam Humanam assumpserit, & repa-rauerit; ipsamque ad Dexteram sui Aeterni Patris collocauerit; antequam pateretur, memoriam suorum mirabilium faciendo se sacramentaliter Fidelibus reliquit: vt sicut palmes à Vite, cui annectitur, fructificat: ita ipsi Fideles fide, & charitate ipsi Capiti coniuncti reficentur, & pignus ęternæ vitæ consequerentur. Omne igitur quod addictam Capitis coniunctionem iuuat inquirendum, & obseruandum est. Adsunt Amores Spirituales Cantici Canticorum, omnium præstantissimi, qui cum sint à Spiritu Sancto,

& in-

& infinitæ Sapientiæ, licet cuncti creati Intellectus ad dilucidandum illud sint intenti, semper tamen admirationis, & noui luminis speciem prębent, admirabilesque coniunctiones cum dicto Capite parturiunt, vt dicere possumus cum Paulo: Quis separabit nos à Charitate Christi? *Quare præter Sanctorum Patrum sensus, quos recenseo in hoc opere, adest lumen maximè consequentiæ circa prędictam participationem, & coniunctionem cum ipso Capite inuisibili Iesu Christo, eiusque Vicnrio in Terris. Ideo inxta præceptum Domini, vt quod Aure audiuì prædicetur super tecta, & non sub modio ponam, sed super candilabrum eluceat ad gloriam Dei, Iesu Christi, eiusque Matris, typis dari operã dedi. Accipite ergo Fratres libenter, quemadmodum ipse vester Seruus illud vobis offero: & rogemus vt vna cum*

San-

Sancta Nostra Matre hic seriò dicamus: Fulcite nos floribus, stipate nos malis, quia amore languemus, & in alia vita ore pleno cum Angelis Diuina Maiestate fruamur, pro qua conditi, & reparati sumus.



Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Sacri Palatij Apoſt. Mag.

I. de Ang. Viceſg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſt. Magiſter.

EX-

EXPOSITIO SVPER CANTICA CANTICORVM.

AMORES SPIRITVALES.

CAP. I.

℣. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1.



AVD dubium est, omnes ferè Scriptores in Cantica Canticorum desiderium totius Ecclesiæ de Incarnatione Verbi interpretatos esse illa verba, *Osculetur me osculo oris sui*. Non ab re tamen videtur, si de Deo dicātur, Nam, neque creatura posset osculum superna-

turale, & ſignum amoris præbere, niſi ipſemet Deus dederit, poſſe; iuxta illud: *Ipſe prior dilexit nos*. Petit autem oſculum oris ſui, ideſt oris capitis ſibi aſſignati. Petijt primò ab Angelis; nam ſecundum aliquos eis reuelata fuit Incarnatio Verbi, & per conſequens, Capitis, & oris, cuius merito in gratiam creati, ipſi erant; & ſi vellent confirmari in gratia, & exaltari in gloria, ipſi Capiti adherere, & cum eo oſculum prębere; quemadmodum fecit Michael Archangelus, cum alijs humilibus ſocijs, moraliter ado. rantes Verbi humanitatem aſſumendam, & poſtea aſſumptam, fiſicè deſcendentes in terram, adorauerunt; iuxta illud. *Adorent eum omnes Angeli eius*. Et Eccleſia canit: *Per quem Maieſtatem tuam laudant Angeli*. Lucifer verò cum ſocijs apoſtaticis, rebellis, & abſque Capite, gratia ſpoliatus, & in Infernum detruſus, pœnas æternas luit. Angeli verò obedientes in gratiam confirmati, & ad gloriam exaltati fuere, meritò ipſius Capitis Ieſu Chriſti. Lucifer verò, & ſocij capitibus

con-

contusis, & insurgentibus conquassatis, in æternum peribit. Petijt ab Adam in gratiam creato, forsitan respectu Verbi incarnandi, & ipsi Adam reuelati (nam secundum aliquos, Incarnatum fuisse Verbum, licet Adam non peccasset) quia tamen polluit os, peccando, & tanquam mortuum non poterat deosculari. Pietas diuina notando lignum, pœnam pati disponens in assumpta Humanitate; cui Adam se submisit, & ad compatiendum, è Paradiso eiectus; ore Capitis prædicti impolluto, osculum dedit obedientiæ, & amoris; quemadmodum alij eius descendentes fideles. Et ò vtinam omnes dicto Capiti adhærentes fidem, & charitatem obseruantes essent. & non præberent osculum sugestionibus inimici; sed tanquam scabellum sub pedibus ipsum habentes ad cœlestes amplexus ipsius capitis ascenderent; eò magis quod prouidentia Diuina Visibili Ecclesię Caput visibile assignauit, & assignat Christi Vicarium SS. Pont. Romanum.

Alius sensus. *Osculetur me osculo oris*

sui. Sponsæ sunt verba. Sponsus est Christus, Sponsa est Ecclesia. Ad Ecclesiam spectat quilibet Fidelis, præsertim Iustus. Habet ergo rationem sponsæ respectu Christi, Anima iusti. Habet B. Virgo rationem Sponsæ, respectu Dei, non solùm quia pars est principalis, & nobilissima Ecclesiæ, sed multò magis, quia concepit in vtero Filium Dei. *Osculetur me osculo*. Hebr. ex osculis, osculum symbolum est Patris, & amoris, beneficij; Nuptiarũ, os voluntatis symbolum, & etiam amorem procedentem ex voluntate. Proindè etiam Spiritum Sanctum significat, qui per amorem procedit, & sui effecta diuina amoris, ei attribui solent. est etiam os, sermonis symbolum. Proinde os Dei est verbum diuinum Filius Dei, per quem Hominem factum locutus est nobis, Deus.

His dictis; B. Virgo in primis optat Incarnationem Verbi, quæ est beneficium omnium maximum, præcipuum osculum oris diuini, quod osculum alia multa comitantur, vt 2. Doctrina Euangelica

quam

quam docuit Christus. 3. Passio, & Mors Filij Dei, pro nostra Redemptione. 4. Sãctissimum Eucharistiæ Sacramentum in cibum, & pignus Vitæ æternæ. 5. Petit Anima fidelis Remissionem peccatorum, & pacem cum Deo. 6. Petit Dei præsentiam per diuinorum contemplationẽ. 7. Petit donum Intellectus & Sapientiæ, quo lumen respiciat in mysterijs fidei, & debitum affectum erga illa. 8. Petit charitatem, amicitiamque cum Deo. 9. Petit Dei visionem in Cœlo.

Quia meliora sunt vbera tua, vino. Reddit rationem petitionis osculi, nempè propter vbera, meliora vino. Vbera cor contegunt, cor autem voluntatem amantem significat. Vbera turgentia ex diffuso lacte fidei, spei, & charitatis à voluntate per actus elicitos, seu imperatos ad potentias, & sensus internos, siue externos, exercitos, siue exercendos; licet isti actus sint à Deo, amantur tamen, & obsculantur ab ipso Deo; quia sunt ab ipsa voluntate libera, præuēta tamen, & adiuta ab ipso Domino; & sic cœtera omnia,

quæ ſunt in mundo, & exiſtunt, quia ita, placitum fuit ipſi Deo, ſunt quaſi vinum; verum ſi eis vſi fuerimus ad finem, per quem facta ſunt, & voluntas noſtra ſub vberibus præceptorum humiliter obediens, velut manus data nobis ad accipiendum, & retinendum bonum, & malum repellendum, non ſolùm naturalia, & viſibilia ad Deum cognoſcendum, & amandum inducunt, iuxta illa. *Inuiſibilia quidem Dei*, vt docet Apoſt. Rom. 1. 20. *creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta cõſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*. Sed etiam multò magis ſupernaturalia, & quanto altius ſunt myſteria eò nos conducunt ad cœleſtia. Vt Eccleſia canit in Præfatio Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti. *Vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc ad inuiſibilium amorem rapiamur*. Et hæc ſunt vbera, quæ placent Deo, nempè ſi voluntas noſtra per ſacrificiũ iuſtitiæ illi oblata, vel per contritionis ſacrificium (ſi fortè non eſſet in gratia) vtrumque ſacrificio Chriſti vnita, actus ſupradictos

ad Dei

ad Dei gloriam, & honorem referat; Et vtinam omnes præcipuè Sacerdotes vbera mentis,& operis cœleſtibus haberent, vt continuis oſculis, & amplexibus reuerenter Deum, grato animo afficientes in vitam æternam, qua conditi ſumus perueniamus.

Alius ſenſus. *Meliora ſunt vbera tua vino.* Senſa. 1. Prædicatur præſtantia nouæ legis, vtilitas, & ſuauitas gratiæ: innuitur imperfectio legis veteris inſufficientia, & auſteritas. 2. Doctrina Sacra, quæ in vtroque teſtamento docetur, præfertur ſcientijs humanis ſecundum perfectionem, vtilitatem, iucunditatem. 3. Delectationes ſpirituales, præſtantiores, ac iucundiores eſſe dicuntur delectationibus ſenſuum. 4. Vita contemplatiua, & mixta præfertur actiuæ. 5. Aeterna fœlicitas, qua Sancti in cœlo fruuntur, præfertur cognitioni obſcuræ, quam de Deo in Eccleſia militanti habemus per fidem. 6. Innuitur ſuauitas cibi Euchariſtiæ, multo prætioſior humanis delicijs. 7. Antefertur diuinorum Contemplatio, curis tem-

poralibus. 8. Laudatur doctrina catholica, improbantur errores. 9. Comparatur dulcedo diuinæ misericordiæ, comparata cum vino iustitiæ. Vbera cum sint circa cor, sedis amoris, & vbera sponsi sunt duplex charitatis dilectio, qua Christus pias animas nutrit.

℣. 2. *Fragrantia vnguentis optimis*. Fragor talis oris, & vberum est huiusmodi, quod infinitè placent Deo, ratione Capitis Christi, cuius odor sumus: quare non solùm Angelos, & iustos, & Deum ipsum inuitamus ad talem odorem; sed etiam peccatores ad veniam. Habet enim spiritualium vnguentorum vim ad infirmitates, & mortem ipsam depellendas, dum verbis, & exemplo defectus curamus, & mortali vulnere sauciatos ad vitam reuocamus; & etiam infidelem ad fidem vocamus. O si omnes Christicolæ acceptum in Baptismate odorem retinerent, & bonis actibus augerent, quam bonum sibi, & alijs præberent.

Alius sensus. *Fragrantia vnguentis optimis*. Ratio affertur cur vbera meliora sunt

ra sunt vino; quod iucundiorem spirent odorem ratione vnguentorum. 1. Lex noua legi veteri præstantior, quia ipsa per gratiam,& charitatem principium est operam bonorum vitæ æternæ meritorũ. 2. Doctrina Sacra præstantior est, doctrinis humanis: quia est Verbum Dei, donum Spiritus Sancti: quia effecta parit mirabilia, morum reformationem, Sanctitatem, Martyria, quæ non possunt, nisi à Deo esse. 3. Delectationes spirituales, æternæ fœlicitatis, Cibus Eucharisticus, Vita Contemplatiua, Doctrina Catholica, perfectione vtilitate, iucunditate maximè excellunt: quia eorum Auctor, eorum obiectum est Deus.

Oleum effusum nomen tuum. Cum Deus benedictus ita intra se communicasset, vt supra se communicare nequiret, infra se adeo se communicauit, quod se ipsum exinaniuit, & formam serui accepit; & nos tali oleo perfusi, & Christiani nomine honorati, si eo vsi fuerimus, & potentiarum lucernas accederimus velut Cœlum, Stellis, Luna, & Sole, fulgentes erimus,

mus, & cũ nudo hoste luctantes ad terrã illum proijcimus, & arma lucis ne rubigine peccatorum inficiamur, semper perlucida ad benè operandum haberemus, & ne tale oleum deficiet, sed potius augeatur ad Deiparam, à qua id habemus, nunquam discediremus.

Alius sensus. *Oleum effusum nomen tuũ.* Vnguentum cuius odore flagrant Vbera tua, es ipsemet: quia totus es perpetua effusio, bonitas, communicatio, sensa sunt. 1. Habere Verbum rationem vnguenti effusi, tum quatenus à sinu Patris ab æterno procedit, tum quatenus se creaturis per creationem, tum quatenus in sinum Matris descendit, tum quatenus exinaniuit se ipsũ, & se per vnionem hypostaticam communicauit. 2. Habere Iesum rationem vnguenti effusi, tum quatenus totum in cibum exhibuit se nobis, quibus se vnit quotidie in Eucharistia, tum quatenus exinaniuit se ipsum in Cruce, seque pro nobis tradidit in prętiũ, tum quatenus se ipsum in Cœlo, exhibet Sanctis possidendum per beatam visionẽ.

3. Ha-

3.Habere Iesum rationem Vnguenti effusi,tum quatenus vnctus est oleo diuinitatis in Summum Regem, in Summum Sacerdotem; tum quatenus immensa gratia, immenso Dei spiritu, omni scientia, omnibus virtutibus, in suæ conceptionis instanti repletus. 4.Habere Iesum rationem vnguenti effusi, quatenus eius notitia,eius doctrina,eius gloria per ipsũ, & per Apostolos suos est toti mundo cõmunicata; & quatenus eius nomen est super omne nomen, & in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestium, terrestriũ, & infernorum. 5. Habere Iesum rationẽ vnguenti effusi, quatenus eius charitas diffusa est in cordibus nostris, & quatenus eius Nomen medicina est in omnibus aduersis.

℣. 5. *Ideo Adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Adolescentulæ idest Angeli, & omnes Animæ iustæ etiam in terra degẽtes, & charitatem exercentes,quæ iuuentutem non minuunt, imò renouant, & à Deo lætificantur, diligunt animam iustã. Nec Draco formatus ad illudendũ eum; nec

nec homo vetus eam oberit, imo fortior, & iunior euadet ipsa anima iusta si cum prouentu fomite ad agonem relictum, superet, & Draconis insidias illudendo, vincat, & fide resistat.

Alius sensus. Significant hæc verba. Amplexatos esse Christi fidem, & Ecclesias fundatas Apostolorum prædicatione, ob Doctrinam, quam de Deo, de Christo, de eius misterijs audiebant præstantia, vtilitate, & iucunditate prædita. 2. Non posse non amare, qui Christi perfectiones, bonitatem, beneficia in homines collata, consideret. 3. Abstrahendum esse affectum, à temporalibus, si Christo velis adherere. Virgines dilexerunt. 4. Animas adolescentulas, ideſt per Baptismum renouatas, & contritione purgatas Christum diligere.

℣. 6. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, licet Deus benedictus, sufficientia auxilia omnibus præbeat, quibus posset rationalis creatura operari, & si non operatur; vel efficacia, quibus ad operandam exit, non ideo volun-

voluntas, & liberum arbitrium cogitur, ſed nolle, & velle eſt in poteſtate ipſius voluntatis; ex quo poſita Dei bonitate excitante, & adiuuante, à voluntate deſit, quin gratiam, & bonam operationem accipiat: quare videtur Deus his verbis exigere, & trahi à dicta voluntate libera, vt currat, & manſionem faciat cum ea. ſtat ad oſtium, & pulſat, vt intret, & cenet cum ea.

Alius ſenſus. Ex verſione vulgata eruuntur tria ſenſa. 1. Opus eſſe tractione, ideſt efficaci Dei auxilio ad Chriſti fidem recipiendam. Nemo inquit Chriſtus venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. 2. Opus eſſe efficaci Dei auxilio, ad actu amandum Deum ſuper omnia, vt eſt amandus. 3. Excitare voluntatem ad Deũ amandum diuina beneficia, & excitare intellectum ad fidem, ſigna credibilitatis ideo *Adoleſcentulæ dilexerunt Te*, traxerunt te. Intelligimus excitare nos ad Deum amandum, quaſi odore quodam, propoſitione, & exhibitione beneficiorũ, quibus allecti nos diligimus Deum, &

rur-

rurſum Deus diligit nos ob amorẽ, quo eum proſequimur.

Introduxit me Rex in Cellaria ſua. Adeo Deus benedictus tradit bona ſua Animæ iuſtæ, vt tanquam Domina, & Regina, poſſideat, & in dictis bonis cupiat introduci, & quicquid etiam minimis eius fecerit ſibi ipſi facere videtur. Introducit ipſa Deum in cellaria ſua, quando in ſuas potentias eius amore inebriatas, & humilitate ornatas eum inuitat. Conſidera Beatam Virginem omnium humillimam, & charitate feruentiſſimam, ad Dei maternitatem ab Angelo inuitatam, reſpondiſſe. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Deus autem in Dominam, & Matrem ſibi eam conſtituit, vt ſubditus obediuit, nutrimentum, & delicias ab ea ſuſcepit. Efficiamur ergo Reges, & Reginæ paſsionibus dominantes, pauperes reficientes, & bona operantes, vt audire, & accipere mereamur benedictionem. *Venite benedicti Patris mei poſſidetes &c.*

Alius ſenſus. 1. *Introduxit Deus Synagogam*

gogam in Cellaria ſua, quando à ſeruitute Aegyptiaca Iſdraelitas eduxit, in deſerto ei legem tradit,& ceremonias docuit myſteriorum plenas. 2. Introduxit Eccleſiam ex gentibus collectam in cellaria ſuã, quando Apoſtolorum prædicatione fidei myſteria reuelauit. 3. Introducitur Anima in cellaria, quando ei Contemplationis donum tribuitur; quando ei Scripturarum intelligentia communicatur; quando à curis ſæculi ad viuendam Vitam Contemplatiuam vocatur. 4. Chriſti cellaria ſunt Sacramenta præſertim Euchariſticum, cuius effectus, vnio cum Chriſto. 5. Cellaria ſunt Cœli manſiones, ad quas per Chriſti merita introducuntur Electi. 6. Cellaria ſunt Chriſti Vulnera, in quibus reconditur infinitus theſaurus meritorum ad quæ introducimur, cum ex eis participamus. 7. Cella Chriſti eſt B. Virgo, in qua nouem menſibus Deus corporaliter habitauit; in qua immenſus eſt diuinæ gratiæ, & gloriæ theſaurus; per quam ad nos beneficia deriuant. 8. Cellaria Chriſti ſunt Eccleſiæ Doctores

res, à quibus fideles doctrinam fidei, & diuinorum intelligentiã recipiunt. 9. Cellaria Christi, sunt Spiritus Sancti charismatibus repleti: ad quæ introducimur, cum eorum intercessionem imploramus. 10. Cellaria Dei, Creaturæ, per quas ad diuinarũ perfectiones deuenimus. 11. Cellaria Dei, Sacræ Scripturæ, sensus earum litteralis, & mysticus.

Exultabimus, & lætabimur in te. Tota Trinitas lætatur in Anima iusta de beneficijs illi collatis, tota Ecclesia triumphans, & militans. Exultat ipsa Anima vna cum potentijs sibi datis; & aduersitates ipsæ velut impetus fluminis eam lætificat, eo quod Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, circundederunt illam. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gloriæ idest iustitiæ, & in loco lachrymarum in quo pasiti sumus ascensiones ad cœlestia in cordibus habeamus, vt sublunaria sub pedibus habentes ad cœlestia gaudia perducamur.

Alius sensus congruus præcedentibus. 1. Dei præsentiam, & vnione cum ipso in

Con-

Contẽplatione, in Sanctissimo Eucharistię Sacramento, in cœlo maximam delectationem causare. 2. Vtilitatem, iucunditatem maximam in nostris animis parere Diuina bona, cum possidentur, non solum reipsa, sed etiam fide, spe, & amore. 3. Omnium spiritualium bonorum causam efficientem, & meritoriam esse Christum. 4. Opera bona, quæ propter Deum fiant præsentem delectationem afferre, & causam esse futuræ &c.

Memores vberum tuorum super vinum. Licet Deus benedictus delicias creaturarum per vinum significata, velut bona, creasset, & approbasset. Vbera tamen, præsertim Virginis, proprias, & filiorum delicias: imo illi nutrimenta præbitura, vt tempore suo præbuit, gaudio magno illum afficiunt: nam licet vti perfectissimus non possit illi addi lætitia, ex parte nostra tamen, potest; quod gaudium de Maria fuit velut mare, & in alijs velut gutta, imo ipsamet ex Maria, nempè vt Radix reserbata, non solùm gaudia, sed lucem ipsam nobis attulit. Vnde Eccle-

ſia illam encomians. ait *Salue Radix, Salue Porta ex qua mundo lux eſt orta*: imò cùm Ieſus Chriſtus eius filius, vt noſtros languores, & dolores patiendo curaret, & gaudia nobis procuraret etiam ipſa compatiendo ad compaſſionem, & glorificationem nos adiuuat, & inuitat. Memores ergo ſimus piorum vberum Mariæ, & exemplorum Sanctorum, ac ſuggentes ex eis, nos ipſi Vbera Deo placentia exiſtamus, & alijs exemplum prębeamus. Superborum Vbera à memoria deleamus, vt nec in mente momento tẽporis locum habeat, & ſi vinum ſugimus delectabilium, ne quæſo his inebriemur, ſed potius veluti Vbera Dei cum temperantia ſorbillantes, & neceſſitatẽ ſupplẽtes ad ſeruitium Dei, toti ſimus.

Alius ſenſus eſt 1. Eſſe Deo præbendam grati animi ſignificationem pro beneficijs à Deo acceptis, magis pro ſpiritualibus, quam pro temporalibus. 2. Eſſe veritatem legis Euangelicæ præferendam vmbræ veteris legis. 3. Eſſe præferendã Doctrinam Sacram, doctrinæ profanæ.

4. Eſſe

4. Esse Fidem Catholicam amplectendã, relictis erroribus. 5. Esse magis incumbendum ad bona æterna, quam in bona temporalia. 6. Placere sibi magis Dei beneficia, quam mala quæ infert pœnæ.

Recti diligunt te. Non solùm Deus diligit animam iustam, verum omnes Filij Dei, præcipuè Regina Sanctorum, quæ in hac vita protegit; & in egressu, ipsam amplectitur, & ad idem Sanctos inuitat. Vt à tentationibus lucrum, ipsa reportet vim, & patientiam subministrant, & procurant; imò ad charitatem erga persequutores impellunt, & aliquando illis conuersionem exorant, vt contingit Paulo per Stephanum. & quid melius à rectis diligi?

Alius sensus. Si legamus Recti, sensus est. A pijs, & iustis Christum diligi, eius beneficia agnosci, eius doctrinam probari. Si legamus Rectitudines, sensus est. 1. Habitare in Christo plenitudinem Diuinitatis, quæ est actus purus omnem rectitudinem perfectionis habens, corporaliter, & per vnionem hypostaticã. 2. Es-

ſe in Chriſto plenitudinem gratiæ,& omnes virtutes, quæ gratiam comitantur,& ſummam innocentiam, & omnes ſapientiæ theſauros. 3. Deum Patrem in Chriſto ſummè complacere.

Nigra ſum ſed formoſa filiæ Hyeruſalem, ſicut Tabernacula Cedar, ſicut Pelles Salamonis. Fides Chriſtiana, licet ſit donum Dei, & radius infinitæ, & increatæ veritatis eius, eſt tamen adeo obſcura, (pro noſtro maiori merito) vt nigra videatur; formoſa autem adeo eſt, vt abſque ea nulla adeſt pulchritudo: imo ex effectibus clariſſima, & formoſiſſima videtur præter congruentias, quæ euidenter credibilem fidem prædicant. In hac vita mortali ad lucis æternæ fontem conducit eos,qui per pœnitentiam velut Domos Cedar nigras, ſed formoſas, & per pellem Salamonis humilitatis, & mortificationis ſymbolum ad Sacramentum Euchariſtiæ dignè accedunt,à quo cibum & æternæ vitæ pignus accipitur.

Alius ſenſus. Eccleſia externa ſpecie contemptibilem apparet ratione ſimpli-

citatis

citatis christianæ, obscuritate in mysterijs fidei, pœnitentiæ, persequutionum, tentationum, peccatorum. Interius speciosam esse ratione Christi inhabitantis, doctrinæ, gratiæ, Hyerarchiæ Ecclesiasticæ. Sacramentorum.

Nolite considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol. Posset vtique Diuinitas Verbi humanitati coniuncta, & præsertim in passione fusca videri, imo leprosa, & vilis, qui tamen consideret totũ id ex amore procedi, infinitæ pulchritudinis esse, confitebitur. Vt si Sol adeo se communicaret in mundum, quod ipse Sol, non solùm fuscus, videatur, licet tunc maximoperè luceat, omnes ferè illuminati velut Sol relucerent. Ita benedictus Deus in assũpta humanitate adeò se communicauit, vt magis in nos radios sui amoris effunderet, vt verè passus & mortuus fuit, licet tunc ipsius charitas, & diuinitas plurimum reluceret, & mortem ipsam destruxit, ac resurgendo vitam reparauit.

Alius sensus. Significatur 1. Tribulationes



tiones, & Calamitates, quibus Ecclesia affligitur, quæ illi perueniunt, & à Deo permittuntur ad maius Ecclesiæ bonum, aut ad vltionem peccatorum, & ab Infidelibus fidem impugnantibus, & à falsis frasibus præsertim ijs, qui se bonis operibus opponunt; & in concupiscentijs, & tentationibus, quatenus eis consentiendo peccati macula denigrantur. 2. Significantur Iustorum species exterior, ac visibilis, quæ hominibus apparet fusca, & contemptibilis; prouenient iustis ex charitate in Christum verum Solem, quatenus vt Christi fidem tueantur, innumeris laboribus, & persequutionibus se obijciunt, vt Christi passiones reuereantur, ac imitentur tota die mortificant corpora sua, ieiunijs, vigilijs, & alijs incommodis, vt Deo pro peccatis satisfaciant, tristantur, & sæuiunt in se ipsos. Significatur Virginis tristitia, ob Christi passiones.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Cum Deus benedictus decreuerit incarnari, & pati, ac mori

mori pro ſalute hominum; matrem appellat naturam humanam, & fratres homines ex ea; quoniam autem inimicitias poſuerat inter ſemen Mulieris, ideſt Virginis, & ſemen Diaboli ideſt hominum eius ſequacium; & licet ipſa Virgo, & ſemen eius, caput ipſius Diaboli fregerit, tamen ei permiſſum fuit inſidiare calcaneo, ideſt extremum vitæ ad maiorem Dei, & Ieſu Chriſti gloriam: quemadmodum per membra ipſius Diaboli necē filio Virginis procurauit, & ideo dicit: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, & fratres meos.*

Alius ſenſus. 1. Conqueritur Eccleſia Chriſti, quod ipſam perſecuti fuerint Iudei, & à ſe repulerint, ad quos miſſus fuerat à Deo; quorum genere fuit Chriſtus, & primi Chriſti Diſcipuli ideſt naſcens Eccleſia. Ita coacta fuerit relicta Synagoga ſe ad Gentes transferre, & inter Gentilium perſecutiones Eccleſias in Gentium Prouincijs fundare, & colere. 2. Conqueritur item Eccleſia, & Vigiles Prelati de fratrum ſuorum malitia, nem-

 pè Hæ-

pè Hæreticorum, & falsorum Christianorum, quod semper impugnati fuerint, à suis sedibus eiecti, & coacti alio migrari, & alijs gentibus prædicare. 3. Ratio affertur ab hominis mente lapsa in peccata, & vitijs dedita, cur sit sceleris maculis, turpis, & nigra: nempè quod filij matris suæ idest Potentiæ sensitiuæ, quarum Parens est Anima, eam ad voluptates turpes, & ad curas temporalium traxerit, relicta cura propriæ conscientiæ.

℣.6. *Indica mihi, quem diligit Anima mea vbi pascas, vbi cubas in meridie, ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum.* Sensa sunt. 1. Significatur mala curiositas, qua sæpe tentari solent aliqui ex fidelibus: tot infidelium sectas; præsertim Hæreticorum, considerantes: quorum singula profitentur veram Religionē apud se esse, qui fideles edubitantes de fidei Catholicæ veritate, incipiunt inquirere; vbi nā Christi doctrina? quod solet esse principiū Apostasiæ. 2. Indicatur desiderium piorum inquirentium doctrinā veri, & solidi spiritus, ne errent in vijs

perse-

perfectionis Christianæ, ne illusiones incurrant, ac decipiantur. 3 Innuitur desiderium contemplationis, & vnionis cum Deo, quod esse debet cũ omnibus Christianis præsertim in Religiosis; ne à Dei amore, ad amorem, & curam temporaliũ diuertant. 4. Significatur desiderium piorum ad æternam fœlicitatem, & in Christi fruitionem anhelantium, ne tentationes superent, & à Christo in æternum separent.

℣. 7. *Si ignoraste, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hedos tuos, iuxta tabernacula pastorum.* Sensa sunt. 1. Prædicuntur mysticè, hæreses, in quas labuntur ij, qui parum considerant signa credibilitatis, quæ habet in omnibus mysterijs veritas Catholicæ Fidei. 2. Indicantur illusiones, quibus contingit decipi eos, qui nõ agnoscunt verum spiritum Iesu Christi, qui spiritus est mortificationis, obedientiæ, & charitatis. 3. Significantur curæ terrenæ cupiditatis, & peccata; ad quæ feruntur ij, qui ab imitatione Christi, & à diui-

à diuinorum contemplatione distrahuntur. 4. Innuitur Synagogæ desertio, quod noluerunt Iudei verum Messiam agnoscere, & recipere.

℣. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*. Sensa. 1. De veteri Synagoga, quam eduxit Dominus de seruitute Pharaonis, & elegit in suum populum, & docuit eam præcepta veræ Religionis. 2. De noua Ecclesia, quam ex Gentilibus congregatam, & in suam Sponsam electam, veteri Synagogæ similem reddit, vt illa à seruitute Aegyptiaca, & à curribus Pharaonis euasit per mare rubrum: ita hæc à seruitute peccati, & Diaboli, per Baptismum euasit in libertatem filiorum Dei. Equitatum suum appellat, exercitum Hæbreorum. 3. De iustificatione cuiuslibet impij, qui à statu peccati, ad statum gratiæ vocatur.

℣. 9. *Pulchræ sunt Genæ tuæ sicut Turturis, Collum tuum sicut monilia*. Sensa. 1. Vtraque gena pulchra, est intentio pura, tum quo ad rem, quam intendit, tum quo ad finem, ob quem intendit. 2. quia in ge-

in genis castæ sponsæ verecundia solet apparere; genæ similes Turturi, quæ nonnisi verum coniugem admittit: est Ecclesia, quatenus aliam fidem non admittit præter Christi fidem. Est mens iusti, quatenus non alijs afficitur, nisi Christo, aut propter Christum. 3. Genæ Turturis ornamento decoræ est intellectus hominis iusti, intellectualibus habitibus ornatus, nempe fide, & Spiritus Sancti Donis, Sapientia, Intellectu, Scientia, Consilio, & Scientia infusa. 4. Collum munilibus ornatum est voluntas Hominis iusti, cum habitibus spei, charitatis, obedientiæ cũ Donis Spiritus Sancti Fortitudinis, Pietatis, Timoris Dei. 5. Genæ sunt Contemplatio, Collum actio. 6. Collum prædicatio, quoniam vt per Collum communicatur corpori cibus, ita prædicatione spiritualiter alitur corpus Ecclesiæ.

℣. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*. Sensa. 1. Duæ auribus murenulę appensæ, est Doctrina Fidei, quæ docetur in Ecclesia fundata in Scripturis Sacris, tum veteris, tum noui Testa-

Testamenti, quæ tota vnum est Diuinæ veritatis, & sapientiæ; cum punctis, seu filis argenti, nempè explicati dictis Sanctorum Patrum. 2. Murenulæ aureæ in Collo sponsæ, est doctrina Sacra, & solida, quam prędicare,& docere debent Ecclesię Doctores, & Verbi ministri; fila,& puncta argentea, sunt eloquentiæ humanæ artificia, & ordo, ac methodus rectorica, quæ pauca esse debent, & quantum opus est ad facilitatem docendi,& ad cõciliandam attentionem Auditorũ. 3.Murenulæ aureę in sponsæ genis cum filis argenti est Contemplatio diuinorum, cum pio, ac diligenti nostro artificio, vt Deo cooperemus in diuinis contemplandis; vel aurum sunt obiecta Diuina, quæ contemplamur; Puncta argentea sunt similitudines, quibus vtimur Murenulæ aureæ cum punctis argenteis in spõsæ collo sunt nostra opera, quatenus omnia ex charitate fiunt, & propter necessitates humanas habent admixtas curas aliquas temporalis.

℣. 11. *Dum esset Rex in accubitu suo,*

Nardas

Nardus mea dedit odorem ſuum. Senſa. 1. Regis accubitus eſt Chriſti conſeſſus ad dexteram Patris. Odor, eſt apoſtolica prædicatio, & fructus bonorum operum, qui vbique in Apoſtolica prædicatione eſt collectus. Poſt quem Chriſtus in Cœlum aſcendit, & Spiritum Sanctum in Apoſtolos miſit, fides vbique prædicata eſt, & morum reformatio conſecuta. 2. Regis accubitus, eſt Verbi Incarnatio, Cibus, executio voluntatis paternæ, Calix, eſt potus, paſſiones, & mors in Cruce. Ex Incarnatione Chriſti, & morte præſtantiſſimus odor diuinæ gloriæ, noſtræque Sanctitatis emanauit. 3. Regis accubitus eſt corporalis Chriſti preſentia in Euchariſtia Cibus, & Potus. Corpus & Sanguis Chriſti, odor, ſpiritualis dulcedo, & vitæ puritas, quam Cibus Euchariſticus parit. 4. Nardus quatenus frutex eſt paruus, & calidus; eſt humilitatis virtus, quæ odores emittit imitationis opprobrorum Chriſti, ex conſideratione, quod humiliauit ſe ipſum Filius Dei, vſque ad mortem Crucis. 5. Nardũ

ſuum

ſuum appellat ipſum Verbum Diuinum, quatenus ſibi datum in fratrem, in ſponſum, in cibum, in prætium, in præmium. Aeternus Verbi accubitus, ſinus Patris, odor æterni Verbi eſt voluntas redimendi mundum, & operandi noſtram ſalutẽ. Temporalis Verbi accubitus, tum vterus Virginis, tum Pręſepe, tum Crux, tum Sepulchrum. Nardus Chriſti voluntas, & charitas, ex qua manabat odor humilitatis, obedientiæ, & operum pro noſtra ſalute patratorum. Nardus eſt Mariæ humilitas, quæ Verbum traxit è Patris ſinu. Odor Mariæ, amor, & obſequia erga filium, 6. Regis accubitus eſt Anima iuſti; Nardus, gratia, odor, bona opera, quæ prodeunt ex gratia. 7. Regis accubitus eſt Contemplatio myſteriorũ Chriſti; ac eius in nos, charitatis, Nardus, Voluntas Chriſti, amore inflammata, odor, bona opera, quę ex amore Chriſti, & ad Chriſtum imitandum, fiunt.

℣. 12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Ieſus Chriſtus, inquit Eccleſia, meus Sponſus

eſt,

eſt, vnguentum effuſum, ratione Bonitatis, qua ſe mihi communicauit per Incarnationem, Doctrinam, per Paſſionem, per Sacramenta, eſt vnguentum myrrhinum, quatenus naturam paſſibilem aſſumpſit, & imaginem peccatoris, & paſſiones, & mortem. Vnguentum myrrhinum, nam præſeruans à corruptione peccatorum, & æternę damnationis. Semper eius memoria erit, inter vbera Intellectus, & Voluntatis meæ per contemplationem, per amorem, per imitationem. Secundus ſenſus. De Deipara. Faſciculus myrrhæ, Chriſtus, quatenus carne oblutus, & faſcijs. Myrrha amariſſima, ex conſideratione futuræ Crucis, quam perpetuo Virgo habebat à Scriptura, & à Simeone de Chriſto prędictæ. Commoratio inter vbera, eſt Chriſti, ex Deiparę viſceribus Incarnatio, & in vberibus ſanctis, & in corde perpetua de Chriſto contemplatio, & amor in ipſum. Tertius ſenſus. Faſciculus eſt Chriſtus in Scripturis Sacris, earum cortice literæ quaſi faſcis ligatus. Myrrha eſt Chriſti caro, & paſſiones, de

quibus mentio fit in Scripturis Sacris. Vbera sunt duo Testamenta Vetus, & Nouum, & duplex sensus, litteralis, & mysticus. Quartus sensus est. Fasciculus myrrhæ est Eucharistiæ Sacramentũ alligatur quasi pectori Christus, verbis, quibus consecratur, speciebus panis, & vini, quibus continetur sua bonitate, qua se communicat nobis. Mirrheus fasciculus est, quatenus est viua rappresentatio passionis, & mortis Christi. Iesus inter Sponsę vbera commoratur, quatenus verè, realiter, & substantialiter pręsens est speciebus panis, & vini, per quas Christi corpore, sanguineque cibamur.

℣. 13. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in Vineis Engaddi*. Sensa. Iesus Christus ipse est Botrus Cipreus, qui est botrus vuæ præstantis, nascentis in vineis Engaddi; quatenus omni perfectione plenus, mihi per Incarnationem communicatus. 2. Est mihi Vnguentum Cyprium saluberrimum; siue Botrus speciosus, & propitiatorius: quatenus in Crucis torculari expressus, ex eo est sanguis redem-

ptionis humanæ expressus, valoris infiniti. 3. Est botrus odoriferus, quatenus suã Doctrinam, & Exemplum, quasi odorem emisit cypreum, quo me recreauit. 4. Est mihi Botrus salutis, quatenus in vineis Ecclesiæ productus, idest à Sacerdotibus consecratus mihi in Eucharistia, præponitur in medicinam peccatorum. 5. Sunt Vineæ Engadiæ, ideft Ecctesiæ Fidelium, in quibus solus nascitur hic botrus; in quibus solus offertur Hedus, ideft sacrificij Iesu Christi; In quibus solus est fons gratię, & veræ Doctrinæ, in quibus solus est oculus peculiaris Diuinæ Prouidentiæ, vt in tradenda Fidei Doctrina non possit errare. 6. Est mihi dilectus meus Botrus Cypri, vinum suauissimum consolationis, dum fruor eius aspectu in vineis Engaddi, ideft, inter cœli habitatores; vbi est fons gloriæ, atque gaudiorũ; quæ Hedus ideft Iesus Christus sua morte nobis promeruit.

℣. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui Columbarum.* Sensa sunt. Ex Symbolis. Bonorum operum

diuinæ gratiæ, principium eſt Fides. Vt bonus oculus totum corpus facit lucidũ apparere: ita ex vera Chriſtianę Fidei doctrina in hac vita: & viſio beatifica in Cœlo, qua videtur Deus, vt eſt. 3. Bis pulchra dicitur Anima, ratione operum, quæ verſantur tum circa bonum propriũ, tum circa bonum proximorum. Pulchritudines autem habent opera in charitate, quæ eſt forma virtutum, ſeu à ſinceritate intentionis, qua in operibus intenditur Diuina Voluntas, Dei gloria, & imitatio diuinorum morum. 4. Bis pulchra dicitur Eccleſia, ratione duplicis vitæ, Contemplatiuæ, & actiuæ. 5. Oculi Columbini ſunt in iuſto, Deliberatio, & Electio; quæ fiunt ſecundum rectam rationem: nam vt oculi deſeruiunt animali ad motum, ita Deliberatio, & Electio deſeruiunt ad actiones. 6. Oculi columbini in Eccleſia ſunt duo Teſtamenta Vetus, & nouum. Duplex ſenſus litteralis, & myſticus. Doctores, & Prædicatores, quoniã horum doctrina ſincera eſt, ſancta, & dirigens homines ad Vitam æternam, do-

cendo

cendo credenda, & agenda, quæ necessaria ad salutem. 7. B. Virgo bis pulchra, nempe Sanctitate interna, & externa; quatenus Dei Mater. Oculos Columbarum habebat, tum ratione Contemplationis perpetuæ ab instanti Conceptionis, tum ratione gemitus, siue doloris ex Contẽplatione passionum Christi. Pulchra per excessum, quatenus sine vlla peccati macula fuit, & quatenus Deiparæ dignitatẽ habet in suo genere infinitam.

℣. 15. *Ecce tu pulcher es, & decorus dilecte mi*. Sensa sunt. 1. Omnis nostra pulchritudo spiritualis à Christo est. Ipse fons pulchritudinis; ipsa pulchritudo; quatenus Deus, Auctor omnis gratiæ. Habet in quantum Homo immensam pulchritudinem gratiæ, & virtutum, & Scientiæ infusæ, & Visionis beatæ. Ipse pulcherrimus etiam corpore. 2. Iesus Christus suauis verbis, suauis moribus, suauis mansuetudine. 3. Iesu Christi doctrina pulchra, ob præstantiam, ob morũ reformationem, quam efficit; suauem ob iucunditatem, quam in animis parit. 4. Ie-

ſus Chriſtus in Euchariſtiæ Sacramento pulcher, ob myſterium, quo ſummam ſuam potentiam, & ſapienttam oſtendit, ſuauis, quatenus ſummam bonitatem exhibet; ſe totum nobis communicando: & quatenus animam reficit.

Lectulus noster floridus, Tigna domorum nostrarum Cedrina, laquiaria nostra Cypressina. Thori deſcriptio. Senſa ſunt. 1. De Eccleſia; lectulus in Eccleſia eſt Fides, nam per fidem vnimur Chriſto; & fides eſt principium bonorum operum, quę ſe habent vt proles. Lectulus in Eccleſia ſunt Sacerdotes qui Chriſto producũt filios per gratiam, ideſt adoptiuos per gratiam Sacramentorum, & prędicatione Verbi. Generatio ſymbolum Iuſtificationis, & eruditionis ſpiritualis, flores ſunt bona opera, & ipſi fideles Chriſto geniti, & ſigna credibilitatis in fide Chriſtiana. Vmbræ, legis veteris figuræ, & obſcuritas fidei. Tigna, ſiue Cedri ſunt in Eccleſia Prophetæ, Apoſtoli, Scriptores ſacrorum librorum. Cypreſſi ſiue laquearia, per quæ excurritur in Domo

Dei

Dei, sunt Prædicatores, & Doctores, per quos habetur verbum Fidei; vel Cedri sunt Principes, & Prælati; Cypressi, alij Fideles; vel Cedri sunt diuina pręcepta; laquearia sunt Consilia Euangelica.

Secundus sensus est. De Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ. Lectulus est ipsum Sacramentum, in quo Christo vnimur Eucharisticè, & per gratiam. 1. Flores sunt effecta huius Sacramenti. 2. Tigna cedrina, Christi dicta, laquearia cypressina, traditio apostolica, in quibus fides huius Sacramenti nititur. 3. De Homine iusto, domus est ipse iustus, lectulus est mens iusti, in qua Christus quiescit per contemplationem, & per amorem. Principale obiectum cogitationum, & affectuum in anima iusti est Christus. Flores sunt rectæ actiones. Tigna cedrina, sunt habitus Virtutum, Theologalium, quæ versantur circa Deum Fidei, Spei, Charitatis. Laquearia cypressina, sunt habitus Virtutum moralium infusorum, Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ. 4. De B. Virgine. Ipsa est do-

mus, & Tabernaculum Iesu Christi, lectulus Vterus virginalis, floridus ratione prolis. *Flos de radice eius ascendet*; & ratione immensæ gratiæ, ac virtutum. Lectulus vmbrosus obumbratione Spiritus Sancti. Cedrus imputriscibilis, mens Virginis, sine vlla vnquam peccati putredine. Cypressus imputribilis, Corpus Virginis semper incorruptum.

CAPVT II.

℣. 1. *Ego flos Campi, & lilium Conuallium.*

S*Ponsus ad conciliandum sibi amorem Sponsæ.* Sensa. Est Iesus Christus Rosa purpurea, ob eximiam charitatem, qua humanum genus complexus est, ob labores, quos pro nobis tollerauit, ob sanguinem, quem pro nobis fudit, est lilium candidissimum ob innocentiam, ob candorem infinitum Diuinitatis. Est flos campi, idest Cœli, & Electorum, in quibus quasi in planitie residet æquitas iustitiæ.

tiæ. Flos illius Campi est Iesus, quatenus omnis pulceritudo gratiæ in Beatis est à Christo. Est flos campestris, natus à terra non scissa, è Virgine. Est flos Sharon; idest, terra fertilis, quia vult Eucharisticè recipi in iustis, quorum opera sunt æternæ Vitæ meritoria. Est lilium conuallium; quia gaudet requiescere in cordibus humilium. Lilium conuallium, idest Ecclesiæ militantis, quæ degit in vallibus humanarum miseriarum. Omnis Ecclesiæ pulchritudo est à Christo. Lilium Conuallium, quatenus se humiliauit humanam carnem sumens, & nostras passiones, & mortem. Flos Campi, quatenus totum mnndum odore virtutum, & doctrinæ impleuit; & pulchritudine gratiæ ornauit. Rosa ob prestantiam perfectionis; lilium exterius candidum, intus aureum; quia Christus exterius Homo innocens intus Deus.

℣. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Sponsæ pulchritudo. Duo sunt sensa, alterum de Ecclesia, alterum de B. Virgine. 1. De Ecclesia. Ea-

rum alijs sectis comparata est veluti lilium, cœteræ, vt spinæ se habent. Nam extra Ecclesiam Catholicam non est vera Doctrina, non Sanctitas. Sunt illæ plenæ spinis errorum, ac vitiorum. Doctrina Catholica, cum alijs doctrinis comparata, prestat vt lilium inter spinas, ratione innumerabilium signorum, quæ faciunt illam euidenter credibilem. 2. de B. Virgine, habet se vt lilium, cœteræ intellectuales creature, vt spinæ, tum ratione præstantiæ, quã B. Virgo super alias creaturas, quatenus Mater Dei, quatenus plena gratia super omnes electos, quatenus plena lumine gloriæ, & gloria corporis super omnes Beatos, excepto Christo, tum ratione puritatis, quatenus sola sine peccati originalis macula concepta; quatenus semper absque turpitudine fomitis excitantis ad peccatum: quatenus semper absque actuali, vel leuissimo. Potest de Ecclesia sensus esse alio modo. Sicut lilium inter spinas conseruat pulchritudinem, & suum odorem: ita Ecclesia, & quisque iustus, inter persequutiones

Infi-

Infidelium, & fratrum falsorum, & inter tentationes, non amittit nitorem gratiæ, nec odorem bonæ operationis.

℣.3. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Commendatur à sponsa, pręstantia Sponsi. Sensus. Significatur personæ Christi perfectio super omnes homines,& doctrinæ præstantia, & exemplum vitæ. Indicatur,si quid est boni spiritualis in hominibus, illud esse à Christo, qui dignatus est homo fieri. Innuitur cœterorum hominum imperfectio. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Gratulatur sibi Sponsa de præsentia Sponsi, quam optauerat. Sensa sunt. 1. Veterem Ecclesiam habuisse cognitionem per vmbras, & figuras per fidem in Christum venturum, recepisse salutis fructum. 2. Ecclesiam per veteres Patres Incarnationem Verbi expectasse, ac tandem obtinuisse, ac recepisse fructũ Dominicæ prædicationis, & Redemptionis, & gratiæ. 3. Vmbram Christi esse Doctrinam Fidei, quatenus Fides est obscura

ſcura, & nos tuetur ab æſtu tentationum, & conſolationem parit in animis. Fructū eſſe bona opera, quorum principium eſt Fides, & Gratia, quam Chriſtus nobis meruit in Cruce moriens. 4. Vmbram eſſe Chriſti paſſiones; quarum exemplo à concupiſcentiarum ardore nos tuemur. 5. Vmbra Chriſti eſſe ſpecies Sacramentalis panis, ac vini; quibus Chriſti caro, & ſanguis velatur: quęque Chriſti mortem repreſentant. Vmbra repreſentat corpus, cuius eſt vmbra. Fructus eſſe Euchariſtici Sacramenti delicias. Vmbram eſſe Chriſti B. Virginem Mariam, tum quatenus Diuinitatem Chriſti ſua carne velauit, tum quatenus ſua interceſſione, nos ab æſtu diuinæ vltionis defendit, tum quatenus ſuis virtutibus, quaſi vmbra Chriſti, maximè Chriſtum exprimet. Fructum eſſe ipſum Chriſtum, qui ventris Virginei fructus. Vmbram eſſe Chriſti Spiritum Sanctum, quo ſuam Eccleſiam Chriſtus protegit. Fructum effecta Spiritus. Vmbra eſſe Contemplationem diuinorum, pręſertim Paſſionum

Chri-

Christi. Fructum dulcem,& pios affectus, qui ad contemplationem consequuntur.

℣.4. *Introduxit in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*. Expositio verborum. Potauit me Sponsus suo vino; quo insordescere me fecit in sui amorem. Sensa sunt. 1. Cella est Ecclesia, vinum, quod est in ea Cella est Doctrina Sacra, Fidei, quæ legem docet charitatis ordinatam, nempè diligendum esse Deum, super omnia,& proximum sicut se ipsum. Quæ homines, actionesque humanas ad Deum dirigit, & ad ad vltimum finem. Quæ principium est Diuinæ gratiæ, cum qua venit omnis exercitus virtutũ. 2. Cella sunt species Sacramentales in Eucharistiæ Sacramento, Vinum est Christi Sãguis,qui bibitur in hoc Sacramento quãdo sumitur, tum substantialiter, tum spirttualiter per memoriam Christi passionis, & mortis. Ordinatio charitatis est, effectus huius Sacramenti, nempè gratia, & vnio cum Christo. 3. Cella mens Iusti. vinum contemplatio diuinorum, præsertim Diuinæ Bonitatis, quæ tot modis se no-

ſe nobis communicat Verbi Incarnatione, Morte, Euchariſtia, Viſione Beatifica. Ex contẽplatione autem oritur amor in Deum,& ſpiritualis iucunditas.4.Cella vinaria fuit cenaculum, in quod Spiritus Sanctus deſcendit in die Pentecoſtes, & repleuit Diſcipulos congregatos diuino ſpiritu,& igne Charitatis. 5.Cella vinaria ſunt Clauſtra Religioſorum, Vinum, exercitia ſpiritualia Religionis, prẹſertim trium Votorum, Paupertatis, Caſtitatis, Obedientiæ. Per quam Obſeruantia creſcit, exiſtit, & augeſcit Diuinus Amor.

℣. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo*, ideſt, vi amoris vehementis deficio: reficite me odore florum, ac malorum. Senſa ſunt. 1.Ex amore erga Deum, & erga diuina ſolere, corporis, & cupiditatum mortificationẽ contingere. 2. Sine diuinis auxilijs, non poſſe hominem in gratia perſeuerare. 3.In vitæ Chriſti,& Sanctorum contemplationem, & imitationem, & in bonorũ operum exercitium incumbendum eſſe; vt in

Dei

Dei amore perſeueremus.Flores ſunt incipientes Mala, Perfecti. 4. Flos eſt Fides, Mala, bona opera; vtrumque neceſſaria ſunt ad perſeuerandum in Dei amore. 5. Amor Diuinus nos vulnerat quatenus ex conſideratione diuinæ pulchritudinis,& diuinorum beneficiorum ad Deũ amandum exardeſcimus. 6. Amor vulnerans eſt deſiderium Sacramentorum;præſertim Euchariſtiæ : Flores, & Mala,eorum frequentia.

℣. 6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Ad mei ſuſtẽtationem opto maximè Sponſi amplexũ. Senſa ſunt. 1. Sponſus meus Ieſus Chriſtus (inquit Eccleſia, & anima Iuſti) ne ſuperbia efferar ob res proſperas, ne Dei charitatem deſeram, ſuſtentat me ſiniſtra ſua, quatenus tribulationes permittit, & perſequutiones, & tentationes tum internas, tum externas. Rurſum,ne tentationes, ac tribulatione me frangant, fractaque ab exercitio bonorum operum retrahar,protegit me dextera ſuorum auxiliorum, conſolatione, & ſpe Vitæ æternæ.

2. Vt

2. Vt perseuerem in sui amore Sponsus meus, vtraque manu me tuetur, & ad perfectionem charitatis me prouehit, tum sinistra, tum dextera, nempè omnium generum beneficijs, tum naturæ, tum gratiæ. Quis Deum non amet, à quo tantopere se videt amari? Amoris argumenta sunt tot creaturæ, quas ad corporis nostri productionem, & commodum producit, conseruat, & mouet. Amoris argumenta, multò maiora sunt Beneficia Incarnationis, Redemptionis, Eucharistiæ, Visionis Beatificæ, quibus animam beat. 3. Sinistra Sponsi sunt bona temporalia, quæ sub capite, idest sub mente esse debent, quia debent contemni. Dextera Sponsi sunt bona æterna, quæ nos debent amplexari, idest totum animũ sui cõtemplatione, & amore occupare. 4. Læua Sponsi est Fides, dextera est Beatitudo. A læua incipiendum, vt ad Dexteræ amplexum perueniamus; idest, in hac vita in Fide viuendum, vt ad claram Dei Visionem perueniamus. 5. Lęua Sponsi, est timor Gehennæ. Dextera est spes fœlicitatis

tatis ęternæ. His quaſi duabus manibus ſubſtentamur, ne in peccata ruamur, & à Deo diuellamur. 6. Lęua Sponſi reſpectu B.Marię Virginis, eſt Chriſti Paſſio, & Mors; Dextera Chriſti reſurrectio. Reſpectu Martyrum, lęua, martyria; Dextera, ęternum pręmium. 7. Lęua Sponſi humanitas; Dextera, Diuinitas. His Spõſa ſubſtentatur, nam Chriſti paſſione redempti ſumus; Paſſionis autem valor infinitus, eſt à Diuinitate.

℣:7. *Adiuro vos filiæ Hyeruſalem per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quovſque ipſa velit*. Interpretatio verborum. Poſt deliquium ſolet ſomnus conſequi. Prohibet Sponſus inter eius brachia quieſcẽtem Sponſam, à ſomno excitari, &c. Senſa ſunt. 1. Eccleſia in Chriſti ſinu quieſcit per fidem. Adiurantur Iudei per dicta Prophetarum. Adiurantur Hæretici per ſcripta, & traditiones Apoſtolorum, ne Catholicam fidem perturbent, & auellant fideles à Chriſto. Anima Iuſti in ſinu Chriſti quieſcit per contemplationẽ,

per

per charitatem ; adiurantur mundus, curæ temporales, concupiſcentię, ſenſus, per Sanctos Interceſſores, per Angelos Cuſtodes, qui animi noſtri bonum procurant; ne mentem à tantis bonis diuertant.
3. Mens Prædicatoris, & operarij Euangelici, vt efficaciam habeat in exercitijs iuuandarum animarum, debet à ſinu Chriſti aurire lumina, & ſpiritum. Donec id agat, non debet in miniſteria externa, prodire, prædicationis, audiendi Confeſſiones, & ſimilia.

℣. 8. *Vox dilecti mei*. Interpretatio verborum. Sponſa poſt quietem euigilãs, audire ſe ait vocem Sponſi ad ſe properantis. Senſa ſunt. 1. Vox Sponſi fuerunt Prophetiæ, ante Chriſti aduentum, quæ eum prædixerunt. 2. Vox fuit Prædicatio Ioannis Baptiſtę, & ipſius Chriſti, & eiuſdem miracula, & prædicatio Apoſtolorũ. 3. Vox eſt interna inſpiratio à ſtatu peccati vocans ad ſtatum gratiæ, & ad perfectionem. 4. Vox, ſunt Diuinæ inſpirationes in Iuſtis ad maiorem perfectionẽ excitantes: quæ ſeptem donis Spiritus

Sanctt

Sancti respondent, & effectus mirabiles faciunt, quos mysticè describit Dauid Psal.28.

Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Interpretatio verborum. Ad me Sponsus velocissimo cursu properat per montes, & colles. Sensa sunt. 1. Christus veniens in mundum per Incarnationem quosdam quasi saltus fecit: è sinu Patris ad sinum Virginis; ex Ecclesia Triumphante ad Militantem; à Præsepe ad Crucem; è Cruce ad dexteram Patris. Verbum Diuinum montes transiliuit, & colles, quatenus sua omnipotentia difficillima superauit: Infinitum, finito, æternum, temporali, impassibile, passibili copulando. 2. Christus veniens in mundum conciliauit montes, & colles quatenus Patriarcharum figuras, & Prophetarum vaticinia adimpleuit; quatenus legem dedit in Monte Sina. 3. Christus per verba Sanctissima Consacrationis in Eucharistiam veniens multos quasi Montes transiliuit, quatenus panem in suũ Corpus, & Vinum in suum sanguinem conuertit:

uertit : facit esse suum Corpus sub sacris speciebus ad modum spiritus, totum sub totis, & totum sub singulis specierum particulis, conseruat accidentia panis, & vini sine proprio subiecto. 5. Iesus montes, & colles transiliuit; quatenus sua dignitate, & perfectione præstantissimosque tum Angelos, tum Homines superauit. 5. Iesus in hac vita in omni actione, montes, & colles transiliuit, quatenus, exemplum summæ humilitatis, & obedientiæ, & charitatis exhibuit. 6. Iesus Christus montes, & colles transilit, non moratur in illis; quatenus superbos deserit. Deseruit Angelos Apostatas, deseruit Iudeos. 7. Verbum diuinum montes, & colles transilijt, cum æternitatis infinita sæcula superauit, & mundum in tempore condidit, vt per creaturas se nobis cognoscendum exhiberet.

℣. 9. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*. Interpretatio verborum. Meus Sponsus velox cursu, vt ceruus. Sensa. Quoniam tria sunt in Caprea, & Ceruorum hinnulo: venustas corpo-

corporis; velocitas, ſeu celeritas curſus; vis modica: tria in Chriſto ſignificantur. 1. Significatur decor corporis glorioſi; animi gratia, & ſcientia, & gloria; ſuauitas morum. 2. Indicatur Chriſti Saluatoris noſtri erga nos charitas, & benignitas. 3. Innuitur medicina, quam noſtris malis fecit, vt ſalui ſimus. Præterea Caprea, per Gregorium, eſt Synagoga; ſimilis capreæ Chriſtus dicitur, quia è Synagoga carnem ſumpſit. Cerui ſunt Patriarchæ, è quibus ortus eſt Chriſtus.

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, perſpiciens per cancellos. Interpretatio verborũ. En Sponſus adeſt, meque per feneſtrarum cancellos intuetur. Senſa ſunt. Quatuor modi, qui per hæc verba ſignificantur: quibus Verbum diuinum exhibet ſe nobis præſens, excitatque noſtrum animum ad ſui cognitionem, & amorem. 1. Præſens ſe nobis verbum exhibuit, cum innumerabilium hanc viſibilium creaturarum multitudinẽ creauit, per eam ad ſui notitiam, & contemplationem, noſtram mentem eueheret.

ret. Mons æternitas fuit; quam transiliuit, cum mundum in tempore creauit. Collis nihilum fuit, quod superauit, cum magna facilitate hunc mundum produxit ex nihilo. Estque nunc Verbum Creationi præsens, & quasi post parietem, quatenus in Creaturis inuisibile nobis est, & non sinit se cognosci, vt est. Sed tamen præsens esse cognoscimus per effecta prouidentiæ mirabilis, quam in creaturis exercet quasi per fenestras. Sed quia cognitio non est intuitiua, sed abstractiua, & per speculum, & in enigmate: his, quasi cancellis, ne clarè Verbum cognoscamus, detinemur. 2. Præsens se nobis exhibuit, cum Sacras Scripturas, & Fidei doctrinam Ecclesiæ reuelauit. Montes & Colles sunt mysteria supernaturalia, quæ naturalis intellectus lumine non possunt cognosci. Nos montes, & colles transiliuit, quatenus ad credendum ea mysteria suam nobis auctoritatem proposuit, suumque dictum; quod quasi paries se habet, quatenus nobis est obscurum. Sed tamen esse in illo, latentem

Diui-

Diuinam Virtutem, fineſtræ innumerabilium argumentorum, atque ſignorum, quæ Fidem Chriſtianam reddunt euidenter credibilem nobis oſtendunt. Habent hæ fineſtræ cancellos, quatenus ſigna credibilitatis, non ſunt ſatis ad reddenda nobis euidentia Fdei Chriſtianæ myſteria. 3. Præſens ſe nobis exhibuit Verbũ, cum caro factũ eſt. Montes, & Colles ſunt magnæ differentiæ, atque diſtantiæ, quæ inter Deum, & hominem intercedunt, inter finitum, & infinitum. Quas tranſiliuit, quatenus perſonam Diuinam noſtræ humanitati vniuit. Stat poſt parietem noſtrum, quatenus latet Verbum in carne. Sed eſſe ſe in carne verum Deum per miracula, quaſi per feneſtras manifeſtat. Sed in his feneſtris ſunt cancelli Paſſionis, ac Mortis: qui ex parte oculorum carnalium ſplendorem Diuinitatis obũbrant. 4. Præſens Verbum ſe nobis exhibet, cum in Miſſæ Sacrificio ad verba conſecrationis ſuum corpus, & ſanguinẽ creat. Montes, & Colles ſunt. Tranſubſtantiatio panis, & vini, quatenus non

in ordine ad locum; Accidentia ſine proprio ſubiecto corpus ad modum ſpiritus, totum in totis ſpeciebus,& totum in ſingulis ſpecierum particulis. Montes,Colleſque tranſiliuntur,quatenus in momento terminationis verborum tanta miracula efficiuntur. Paries, qui Chriſtum nobis tegit, poſtquam eſt Chriſtus ſubſtantialiter præſens, ſunt ſpecies Sacramentales Panis, ac vini. Feneſtræ ſunt Sacramenti Euchariſtiæ effecta miranda, vt ſunt ſenſus ſpiritualis dulcedinis, præſeruatio, quam experimur à peccatis. Cãcelli ſunt obſcuritas Fidei, quatenus credimus, quod non videmus.

Alius ſenſus eſt: Paries eſt peccatum, quod nos diuidit à Deo. Poſtquam ſtetit Chriſtus, quatenus ad nos venit, pro nobis mortuus eſt. Feneſtræ ſunt Sacramenta, per quæ nobis Chriſtus, ſuæ gratiæ lumen traſmittit. Cancelli anguſti ſunt Pœnitentia,& cordis Contritio, quæ diſponunt ad gratiam.

℣. 10. *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea,*

formo-

formosa mea, & veni. Interpretatio verborum. Inuitat me Sponsus benignis verbis ad suum amplexum. Sensa. Significatur 1. Vocatio Synagogæ à seruitute Aegyptiaca ad terram promissionis. 2. Vocatio Gentilitatis ad Fidem Christianam. 3. Vocatio peccatoris ad gratiã. 4. Vocatio iusti ad perfectionem. Vocatio iusti ad fruitionem æternæ fœlicitatis. 6. Vocatio contemplatiui ad auxilium animarum.

℣. 11. *Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit*. Interpretatio verborum. Tempus nuptijs opportunum elapso hyeme. Sensa. Innuitur primo status mundi ante legem gratiæ. 2. Status peccatoris ante iustificationem. 3. Tribulationes huius vitæ ante cœlestem fœlicitatem. 4. Passiones Christi ante Resurrectionem.

℣. 12. 13. *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus potationis aduenit: Vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos. Vineæ florentes dederunt odorem suum, Surge*. Interpretatio verborum. Tempus opportunum nuptijs,

quando omnia vernant. Senſa, 1. Significantur Bona naſcentis Eccleſiæ, flores, ſunt Iuſti, Martyres, Virgines, Miracula, Doctrina Euangelica, Gratia, Virtutes. Potatio, morum reformatio, veterum cęremoniarum abolitio. Turtures, Anachoritæ, Contemplatiui, Pœnitentes, Prædicatio Caſtitatis, & Pœnitentiæ. Groſſi bona opera; odor bonum exeplum. Vel Ficus Synagoga, Groſſi Apoſtoli, & alij Fideles ex Iudeis. Vel Ficus, Crux; Groſſi fructus Crucis dulciſſimi. 2. Significatur æterna fęlicitas, quæ poſt Chriſti paſſionem conſequuta eſt electis. Terra eſt Cœlum, flores electi. Potatio, reprobatio impiorum. Vox Turturis quæ auditur in terra viuentium, ſunt deſiderium, & præcęs Eccleſiæ militãtis, Groſſi, & Odor, vt ſupra n. 1. 3. Significantur bona, quæ animus recipit in ſua iuſtificatione. Flores ſunt gratiæ, & virtutes. Potatio eſt concupiſcentiarum mortificatio, & vitiorum exciſio. Vox Turturis, pœnitentia, & ſatisfactio. Groſſi, bona opera, & gratia procedentia; odor vt ſupra *n*. 1.

℣. 14.

℣.14. *Columba mea in foraminibus, in cauerna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Interpretatio verborum. Spelunca in syluis, erit locus nuptiarum. Sensa. *In foraminibus petræ in cauerna maceriæ.* Vt Columbę tutæ sint ab auibus rapacibus, si effugiunt ad foramina: ita nos tuti sumus à Diabolo per fidem, & spem in Christum, in eius vulnera, & passiones. Per Christi mortem, salutem consequimur per Sacramenta, quæ ex Christi latere fluxerunt. Vt Columbæ in foraminibus ædificant, ita nos ad prolem bonorum operum maximè excitamur per contemplationem vulnerum Filij Dei pro nobis mortui. 3. Foramina petræ, cauerna maceriæ sunt in Eucharistia species Sacramentales, sub quibus est realiter Christus Dominus, & Sponsus noster cui Eucharisticè vnimur ad præseruationem à peccato, ad recipiendam gratiam, semen operum bonorum, & fœlicitatis ęternæ. 4. Cauerna maceriæ est Ecclesia congregatio fidelium, quasi

quasi lapidum, extra quam non est salus. Cauerna maceriæ est Ecclesia trinmphās, multitudo cœlestium spirituum, qui nos custodiunt. Contemplatio nos à peccatis tuetur, & ad benè operandum valde vrget. 5. Cauerna maceriæ, Sacra Scriptura; ex Prophetarum dictis coagmentio, qua se tuetur Ecclesia. In qua ad diuinorum contemplationem se erigit. *Ostende mihi faciem tuam, facies tua decora.* 1. Facies decora est gratia iustificans, quę habetur ex meritis Christi, ad quam vt perueniant hortatur Christus suos Electos, vt ad ipsum conuertantur per amorem. 2. Facies decora est Fides, & Sacra Doctrina, & diuinorum contemplatio, vt ex facie cognoscuntur homines, ita ex fide cognoscuntur Electi; vt facies decora facit homines amabiles: ita sine fide impossibile est placere Deo. Facies decora diuinorum cognitio, ob præstantiam obiectorum, ob iucunditatem quam pariunt. 3. Facies decora est bonæ vitæ exemplum. 4. Vult tolli velamen regens faciē, nempè vmbras veteris legis, igno-

ran-

rantiam, malitiam, erubescentiam. *Sonet vox tua auribus meis, vox tua dulcis.* Dulcis Deo, est Fidei confessio, quatenus protestatio est Diuinæ Veritatis. 2. Dulcis est Deo, peccatorum confessio: quia detestatio est diuinæ offensæ includẽs amorem erga Deum. 3. Dulcis est Deo oratio, cum spe, humilitate, & desiderio ad Deum fusa, quia profitetur Diuinam potentiam, & bonitatem. 4. Dulces Deo sunt diuinæ laudes, & actiones gratiarũ: quia exprimunt ipsi Deo conceptũ, quem habemus de Diuinis perfectionibus, & de Diuina Bonitate, ac liberalitate. 5. Dulcis Deo, est Sacri Verbi Prædicatio, quia notitiam afferunt in auditorum animis, Dei, & Diuinorum mysteriorum.

℣.15. *Capite nobis Vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit.* Interpretatio verborum. Vineæ florentes, spem ostendunt vberis fructus, capiendæ Vulpulæ ne factæ grandiores vuas vorent. Sensa sunt. 1. Vulpes paruulæ sunt nascentes hæreses, & errorum principia. Vigilare Pastores debent, vt eas

eas deprehendant, & extinguant, antequam adolescant, & Ecclesiam corrumpant. Vinea florens, fuit Ecclesia nascens; Vulpes paruulæ, sunt prauæ cogitationes, quas nostræ concupiscentiæ, ac Diabolus surgunt, quæ statim abigendæ, ne ita crescant, vt in peccatum inducant, & perdant opera bona. Vulpes sunt, quatenus sub boni specie Animam decipiunt. Vulpes sunt sapientes huius sæculi, aduersantes Doctrinæ Fidei, Hypocritæ, Detractores, Adulatores, Seditiosi.

℣. 16. & 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Interpretatio verborum. Quamuis interdum separer à meo Sponso gregem pascentem, non diuidimur tamen amore mutuo. Sensa sunt. Dilectus meus mihi, & ego illi. 1. Ille amauit me eligendo, vocando, auxilia præbendo ad salutem necessaria. Et ego redamo illum eius voluntati obsequendo, eius gloriam quærendo. 2. Ille se mihi exhibuit Incarnatione, Passione, Eucharistia, Visione beata: Ego me illi

exhi-

exhibeo gratias agendo, eum contemplando, animas iuuando. 3. Ille me summè amauit tradens se ipsum mihi; ego eũ diligo toto corde super omnia. 3. Ex verbis, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Christus præpositis nobis quasi lilijs alit nos, ac sustentat suo verbo toto huius vitæ tempore, donec ad æternam fœlicitatem perueniamus. 2. Diuina nobis auxilia præbet, ne vitam gratiæ amittamus, ac deficiamus, inter lilia purissima corporis, & sanguinis sui. 3. Delectatur esse inter iustos, & vitam puram degentes, ac bonam exhibentes, quasi lilia suauissimum odorem spirantia. 4. Pascit nos inter lilia quatenus suarum perfectionum, ac virtutum contemplatione reficit. 5. Ecclesia semper est vnita cum Christo per fidem & gratiam vsque ad finem mundi; cum Christo interim moranti inter Sanctorum lilia in cœlo. Ex verbis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. 1. Dies est tempus huius vitæ, vmbræ, pericula, & tentationes, quas in hac vita patimur, &

ipſa mors. 2. Dies ſtatus gratiæ: Vmbræ Fidei myſteria, quæ in hac vita non cernimus vt ſunt. 3. Dies fœlicitas æterna: Vmbræ, vita præſens.

℣.18. *Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi, capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether.* Interpretatio verborum. Cupio Sponſam in paſcuis morantem ad me redire. 1. Orat in deſerto Synagoga Deum, vt quamuis iuſtè iratus, ob Iſdraeliticі populi peccata, ſuperata omni difficultate ingratitudinis, reuertatur, & reconcilietur populo, & legem præſcribat, ac cęremonias, & in terram promiſſam introducat. 2. Præcantur Veteres Patres, & inprimis B. Virgo Verbum Diuinum, vt ſuperatis omnibus difficultatibus è Cœlo quamprimum deſcendat, & aſſumat naturam humanam, & operetur noſtræ ſalutis myſterium. 3. Eccleſia naſcens petit à Chriſto rediuiuo, vt reuertatur in Cœlum, & Spiritum Sanctum mittat in terras, & Prædicatores Euangelij. 4. Poſtulat Eccleſia ipſa ſecundum Chriſti aduẽtum, vt carnis ſit reſurrectio, & perficiatur

tur Electorum gloria. 5. Petit Sacerdos cum tota Ecclesia, vt Christus prolatis verbis cõsecrationis, faciat se statim præsentem è cœlo in speciebus Sacramentalibus, & rursum consumpto Sacrificio discedat è pectore in cęlo, vt detur locus sacrificio, & cõsumationis sequentis diei. 6. Petitur post tribulationes, post tentationes post peccata, redditus Christi in animam per gratiam, & consolationem spiritualem.

CAPVT III.

℣. 1. In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.

VErba Symbolica. Desiderat Sponsi pręsentiam, & amplexum. Sensa sunt. 1. De tempore ante Christum, lectulus est Congregatio fidelium ante legem, & sub lege. Nox, lex naturæ, & lex scripta; quæritur Sponsus quatenus expectatur; non inuenitur quatenus Christus

ſtus nondum venerat, & per veteres cœremonias non conferebatur gratia. 2.De Eccleſia naſcente vocata ex Gentitibus. Lectulus, Philoſophia Gentilium. Nox infidelitas, quærit Gentilitas Chriſtum, quatenus vocatur ad fidem. Non inuenit, quatenus doctrina, & vires naturales non ſunt ſatis ad fidem. 3.De Peccatore, lectulus eſt ſtatus peccati,& conſcientia. Nox eſt ipſum peccatum, quærit Sponſum, qui vocatur à ſtatu peccati ad ſtatũ gratiæ. Non inuenit, quatenus ſuis viribus, nemo ad gratiã redire poteſt. 4. De tempore huius vitæ, lectulus, tum Creaturæ, tum Scripturæ. Nox modus cognoſcendi obſcurus, non inuenit, quatenus non habetur intuitiua Verbi cognitio. 5. De contemplatione, & ſtatu deſolationis. Lectulus, Contemplatio. Nox tribulatio.Non inuenire, eſt ſpirituali cõſolatione priuari. 6. De tempore Paſſionis, lectulus Chriſti Crux, & ſepulchrũ. Nox Paſſiones, & Mors. Non inuenitur Chriſtus quatenus non amplius eſt viſibilis in terris, & quatenus reſurre-

xit, & aſcendit in Cœlum.

℣. 2. *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas quæram, quem diligit Anima mea, quæſiui illum, & non inueni.* Interpretatio verborum. Conqueritur, quod non ſolum non in lectulo, ſed neque in ciuitate Sponſum inuenerit. Senſa. 1. Vicus ſiue forum in Eccleſia eſt quilibet vir, conſilia dominica amplexus, vt ſunt Cœnobitæ. Plateæ ſunt ſæculares in præceptorum obſeruationem incumbentes. Per vicos, & plateas Sponſum quærere, eſt bonas actiones conſiderare, tum Religioſorum, tum Fidelium ſæcularium. Bonum vitæ exemplum in Eccleſia. magnum eſt, Doctrinæ veræ teſtimonium, quod maximè valet, ad trahendum animas ad Chriſti fidem, & amorẽ: ſed nihil valent, ſine gratia Dei. 2. Vici, & plateæ Ciuitatis, ſunt Hiſtoriæ veteris, & noui Teſtamenti, præſertim Chriſti exempla, prædicatio, miracula, quæ via ſunt ad ſuadendum Chriſti fidẽ, & amorem; ſed neque ad Chriſtum hoc modo peruenimus, niſi ipſi ſua gratia iuuerit.

Vici, & Plateæ sunt Bona temporalia, & curæ sæculares. In his non inuenitur Christus, quatenus vera fœlicitas non est in his bonis. 4. Vici, & Plateæ sunt sensus, lectulus mens, non est vera fœlicitas in delectatione sensuum. Vici, & Plateæ sunt occupationes vitæ actiuæ, nō inuenitur in his Christus, cum non diriguntur ad Christum.

℣.6. *Quæ est ista quæ ascondit per desertum, sicut virgula fumi, & aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarij.* Sensa. 1. Sponsa ascendens per desertum fuit vetus Synagoga, ex Aegypto ad Terram Promissionis progrediens. Columna fumi: fuit columna nubis, quæ antecedebat Isdraelitas. Aromata fuerunt mysteria, & miracula eius columnæ. 2. Sponsa ascendens per desertum est Ecclesia ex Gentilitate congregata. Columnæ fumi sunt prædicatio Doctrinæ Sacrę. Bonum exemplum, miracula, quibus Ecclesia se super omnes sectas præstabilem exhibuit. Aromata sunt Virtutes, tum Theologales, tum Morales. Mirrha, patiē-

tia

tia in tribulationibus, & persequutionibus. Thus, Religio, Deuotio, Puritas, Intentiones. 3. Sponsa ascendens per Desertum est anima Iusti in hoc mundo ad perfectionem Christianam,& ad Cœli fęlicitatem se euehens. Columna, idest Virgula fumi, est Contemplatio, & Exercitium, siue actio Virtutum. Mirrha, Mortificatio; Thus, Oratio, & Obedientia, & Charitas. 4. Ascendens per desertum est Maria Virgo, sola sine peccato concepta, prima Votum Virginitatis vouens, sola sine corruptione Mater. Columna fumi in altum se erigentis, fuit Maria ratione maternitatis, & gratiæ, cœteros Sanctos excidentis. Aromata omnis generis fuerunt in Virgine omnia genera virtutum. Myrrha, immensus dolor ex filij passionibus; Thus, Contemplatio perpetua, & perpetua cum Diuina Voluntate Confirmatio. 5. Ascendens ex deserto est quilibet Iustus post mortem, cœlum ingrediens in primis B. Virgo in cœlũ assumpta. Columna fumi, tribulationes iustorum, & rectè actiones, & merita. Aro-

mata virtutes, præsertim Humilitas, Obedientia, Charitas.

℣. 7. *En lectulus Salamonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Isdrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super fæmur suum, propter timores nocturnos.* Interpretatio verborum. Sodales Sponsi, eius lectum benè custoditum prædicant. Sensa. 1. Quasi lectulus fuit apud Isdraelitas Tabernaculum; quod in castrorum media positum sexaginta millia Isdraelitarum custodiebant. 2. Lectus Christi est Ecclesia, præsertim Hierarchia Ecclesiastica, in qua quiescit Christus per fidem, & gratiam. Sexaginta fortes, sunt Ecclesiæ Doctores, ac Prædicatores, qui Christi Ecclesiam verbo, & exemplo tuentur. 3. Lectulus Salamonis, est mens Iusti, in qua quiescit Christus per contemplationem, & amorem. Sexaginta fortes sunt Angeli nostri Custodes, sunt Virtutum habitus, & actiones rectæ, quæ disponunt ad contéplationem, & vnionem cum Christo. Ensis super femur est Mortificatio, & frena-

tio

tio concupiſcẽtiæ. Timores nocturni ſunt pericula peccandi. 4. Lectulus Salamonis ſunt Tabernacula in quibus aſſeruatur Corpus Chriſti, ſunt ipſæ ſpecies Sacramentales, in quibus ſemper Chriſtus ſubſtantialiter quieſcit, donec corrumpantur. Eſt ipſum Sacramentum eius corporis, & ſanguinis, quatenus extitit Chriſtus in illo, vnitur ſuæ Sponſæ, & per gratiam generat filios Dei. Sexaginta fortes, qui lectulum cuſtodiunt, ſunt Scripturæ Diuinæ, & Eccleſiaſtica Traditio, & Eccleſiæ Doctores, qui omnibus ſæculis huius Myſterij veritatem docuerunt, & defenderunt. Sunt Sacerdotes, & cæteri fideles, qui Fidem, & Sacramentalem præſentiam Chriſti in Eccleſia conſeruare nituntur. Enſis ſuper femur eſt Diligentia, qua ante Euchariſtiæ ſumptionem præparandus eſt animus. Lectulus Salamonis eſt Religioſorum inſtitutũ, in quo ſumma quies ratione votorum. Sexaginta fortes, ſunt Regulæ Conſtitutiones, Prælati. 6. Lectulus Salamonis eſt vterus Virginis, Chriſti humanitas, Præſepe,

Crux, Sepulchrum; Sexaginta fortes sunt Scripturæ de his mysterijs agentes, Doctores hæc docentes, Martyres pro his sanguinem fundentes.

Ferculum fecit sibi Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum; media charitate constrauit propter filias Hyerusalem. Interpretatio verborum. Lectulus gestatitius, sicut lectica Sponsi describitur. Sensa sunt. 1. Ferculum ex lignis Libani, idest ex cedris imputribilibus est Ecclesia semper mansura: Columnæ argenteæ, quæ Ecclesiam sustentant sunt Prædicatores, ac Doctores. Reclinatorium autem sunt Cõtemplatiui, in quorum mentibus Deus semper versatur, & Iusti, in quibus Christus quiescit per amorem. Ascensus purpureus sunt Mortificatio, Tribulatio, Martyria, per quæ ad contemplationem, ad vnionem cum Christo, ad æternam requiem peruenitur. Media est multitudo sæcularium, qui charitate saluantur, nempè obseruatione præceptorum. Hi non filij, idest non hæredes; sed filiæ, quatenus

nus virilia non exercent, appellandi. Hyerusalem est Ecclesia. 2. Ferculum, quo Salamon ad filias Hyerusalem defertur, sunt Sacerdotes in Ecclesia, qui deferunt Christum ad fideles, tum quatenus in Missa consecratorijs verbis faciunt Christum substantialiter, realiter, verè præsentem, sub sacris panis, & vini speciebus; eumdemque fidelibus ministrant; tũ quatenus per Sacramenta præsertim pęnitentiæ vniunt fideles Christo per gratiam; tum quatenus inserunt Christi cognitionem in mentibus auditorum, per verbi prædicationem. Est hoc ferculum ex lignis Libani, quatenus Sacerdotes è sæculo, ex mundo ad Sacra ministeria vocantur. Columnæ argenteæ sunt Doctrina, & talentum prædicationis: quibus Sacerdotes præditi esse debent, vt conuenienter Sacerdotalia ministeria possint exercere. Reclinatorium aureum, est Vitæ puritas, qua debent Sacerdotes præstare; & Contemplatio Diuinorũ. Ascensus purpureus sunt, tum labores pro salute animarum, tum patientia in persecutio-

tionibus, tum mortificatio concupiſcentiarum, in quæ Sacerdotes debent incumbere, vt rectè ſuo munere fungantur. Media charitate conſtracta, eſt interior, & ardens zelus animarum, & diuinæ gloriæ deſiderium, quo Sacerdotum pectus ardere debet. *Propter filias Hyeruſalem*, vt animarum ſalus conſequatur. 3. Ferculũ ſunt in Euchariſtiæ Sacramento ſpecies Sacramentales panis, ac vini: in his quieſcit Chriſtus: per has defertur in cibum fidelibus. Ligna Libani ſunt materia huius Sacramenti panis, & vinum, è mundo ſublunari ſumpta, cuius mundi ſymbolũ eſt Libanus. Columnæ argenteæ, ſunt Sacræ Scripturæ Verba; quibus huius Sacramenti veritas nititur. Hoc eſt Corpus meum; caro mea verè eſt cibus, Sanguis meus verè eſt potus, &c. Reclinatorium aureum eſt vnio cum Chriſto per gratiam & charitatem: quem effectum principaliter facit Euchariſtia. Aſcenſus purpureus eſt memoria Paſſionis Chriſti; quæ viua eſt in hoc Sacramento. Media Charitas eſt ipſa realis Chriſti præſentia; qui effe-

ctus

ctus est infiniti amoris, quos nos diligit Deus. 4. Ferculum quod fecit sibi Rex Salamon, est Humanitas Christi, quam sibi Verbum ad inhabitandum formauit, propter filias Hyerusalem propter Electorum salutem. Ligna Libani, sunt Patriarchæ, è quibus Verbum sibi carnem assumpsit. Columnæ argenteæ, sunt septem Dona Spiritus Sancti, quibus Christus repletus est. Reclinatorium aureum, est Conformitas cũ Patris voluntate. Ascensus purpureus, Obedientia vsque ad mortem Crucis. Media charitate constrata, Christo cor charitate flagrans. 5. Ferculũ Salamonis est B. Virgo, quæ Christum Dominum in vtero portauit; ligna Libani, sunt Genitores Virginis. Columnæ argenteæ, sunt Humilitas, & Virginitas. Reclinatorium aureum, Vterus Virginis. Media charitate cõstrata omnia genera virtutum, quæ fuerunt in Maria. 6. Horum figura fuit Tabernaculum fœderis. Ferculum est ipsum Tabernaculum, ligna Libani sunt ligna imputribilia, quæ nascuntur in Monte Libano. Columnæ ar-

genteę ſunt quatuor Columnæ, quæ baſes habebant argenteas. Relinatorium aureum, Propitiatorium ex auro, quod erat quaſi Sedes Dei: Aſcenſus purpureus, Velum ante Propitiatorium ex purpura, vermiculo. Media charitate conſtrata ſunt Arca, & Tabulæ legis in arca, & Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, charitatis Diuinæ ſigna erga Iſdraelitas.

℣. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salamonem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua in die Deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Interpretatio Verborum. Inuitantur à Sponſa Adoleſcētulæ Ieroſolimitanæ ad ſui Spōſi ſpeciem, & maieſtatem contemplandā. Senſa ſunt. 1. Rex Salamon Chriſtus, Diadema, Chriſti humanitas, tum reſpectu Chriſti ratione regiæ, ac Sacerdotalis dignitatis, quam Chriſti humanitas in vnione ad Verbum, accepit; tum reſpectu noſtri quatenus Chriſtus vt Homo eſt Caput Eccleſiæ, ſui corporis miſtici, quod ſua dignitate coronat. Mater Salamonis

Maria,

Maria, dies Desposationis instãs Incarnationis Dominicæ; cum Christus, ratione Humanitatis assumptæ factus est Sponsus Ecclesia. 2. Diadema, Spinea Corona; Mater, Synagoga, è cuius stirpe Christus carnem sumpsit. Ad contemplationem Passionis Dominicæ inuitamur. Dies desponsationis in Christo, fuit Mors in Cruce, & apertio lateris, cum Christus sibi peperit, & copulauit Ecclesiam. Dies lætitiæ dicitur; quia Christus valde lætatus de nostra salute. 3. Egredimini filiæ Sion. Ciues Cœli, & militantis Ecclesiæ, inuitantur ad contemplandum Christi gloriã post Resurrectionem. Diadema sunt quatuor corporis gloriosi, dotes. *Coronauit eum Mater sua*. Mater Christi tum Synagoga, vt supra dictum est, tum Hierarchia Ecclesiastica, quatenus Christum per fidem generat in animis Fidelium, & per gratiam. Coronauit Iesum Synagoga gloria, quatenus Ministra, & auctrix fuit Christi Passionis, quæ maximam Iesu Christo peperit gloriam. Coronauit Hierarchia Ecclesiastica Christum gloria,

qua-

quatenus ſua prædicatione in omnibus gentibus Ieſu Chriſti notitiã fecit. Dies deſponſationis,& lætitiæ, eſt dies Reſurrectionis,quatenus Reſurrectio cauſa fuit Fidei in Eccleſia, & gaudiorum in Chriſti corde. 4. Diadema Salamonis ſunt ſpecies Sacramentales in Euchariſtiæ Sacramento, & oſtentio infinitę Bonitatis Diuinæ,potentiæ,& ſapientiæ in hoc myſterio. Deſponſatio eſt Vnio Euchariſtica Chriſti cum fidelibus. *Egredimini*. Inuitamur ad fidem huius myſterij,& ad cõſiderationem, & præparationem, cum ad illud accedendum eſt. Mater Chriſti,tum diuina Charitas, quæ Chriſtum ad inſtituendum hoc Diuiniſſimum Sacramentũ impulit, tum Sacerdotes,qui verbis conſecratorijs Chriſti corpus producunt. 5. Diadema in Chriſto glorioſũ, ſunt Martyres, Virgines, Confeſſores; quorum victorias, & gloriam Chriſtum ſua paſſione promeruit. Mater Chriſti eſt, tum Charitas, tum Eccleſiaſtica Hyerarchia, quæ Chriſto filios gignit, & membra corporis Chriſti per verbum Dei, & per Sacra-

Sacramenta. Dies desponsationis, est dies Pentecostes, cum per aduentum Spiritus Sancti inducit Christus primos Discipulos virtute ex alto ad propagãdam Christi Fidem per Orbem vniuersum.

CAPVT IV.

℣. 1. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? oculi tui Columbarum absque eo quod intrinsecus latet.

INterpretatio verborum. Laudat Spõsus pulchritudinem Sponsæ. Orditur à pulchritudine oculorum. Sensa sunt. Quam pulchra es amica mea quam pulchra es? Ecclesia, Anima iusti, B. Virgo bis pulchra dicitur vt excellẽtia pulchritudinis significetur; & pulchritudo duplex tum interior gratia, ac virtutum, tum exletior conuersationis, regiminis, rituũ; & pulchritudo tum exempli, tum prædicationis, tum actionis, tum contemplationis, vide supra c. 1. ℣. 15. & pulchritudo

tudo tum sensus litteralis, tum mystici in Sacris Scripturis, & ritibus Ecclesiæ. Oculi tui Columbarum, vide supra c. 1. ℣. 15: *Absque eo quod intrinsecus latet*. Bona quidem est actio, sed melior contemplatio. 2. Bonæ Vitæ Sanctitas, sed melior Visio Beatifica, quæ nondum apparet, quam expectamus in præmium bonæ actionis. 3. Bonum vitæ exemplum, sed pręstantius desiderium placendi Deo. 4. Bona Contemplatio Columbina, quæ per humanum discursum fit adiutum lumine Fidei; sed pręstantior contemplatio per silentium: idest per admirationem diuinarum perfectionum, aut per abstractionem à sensibus.

Capilli tui sicut greges Caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Interpretatio verborum. Capillorum pulchritudinem laudat: Sensa sunt. 1. De Ecclesia, Mons Galaad est Christus Iesus, quatenus est Caput Ecclesiæ, est Galaad idest Aceruus testimonij, tum quia ipse testimonium exhibuit veritati prædicando, miracula patrando, tum quia Incarnatio est maximū testi-

testimonium infinitę Dei bonitatis, ſapientiæ, potentiæ. Tum quia ipſe de Cruce pendens eſt teſtimonium fœderis, & reconciliationis inter Deum, & Homines tum quia de eius diuinitate ſunt innumerabilia teſtimonia Scripturarum, & miraculorum. Capilli ſunt greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galad, ſunt tum multitudo fidelium, qui doctrinam habent Fidei à Chriſto recepta, tum in primis Eccleſiæ Doctores, qui doctrinam à Chriſto acceptam in alios deriuant. Ea autem doctrina prętans eſt, & pura, vt prętabant pili caprarum venientium ex monte Galaad. 2. De homine iuſto. Mons Galaad eſt mens iuſti fide plena, quæ eſt Dei teſtimonium, à Deo reuelata. Capilli ſunt iuſtorum cogitationes, & contemplatio in fidei veritate fundata. Illæ cognitiones puræ ſunt ſine errore, vt pili caprarum ex monte Galaad venientium ſunt quaſi pili nigri, quatenus profundę. 3. De Religioſis, Mons Galaad eſt Ieſus Chriſtus vt dictum eſt in primo ſenſu. Capilli ſunt Religioſi, Chriſto adhærentes

tes per Religionis vota, ſine ſenſu ratione mortificationis.

℣. 2. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fętibus, & ſterilis non eſt inter eas*. Symbola Interpretatio verborũ. Laudat pulchritudinem Dentium. 1. Pulchri Dentes ſunt cum nitidi, & ſanè ſordibus, ob id comparat Sponſæ dentes, gregibus ouium tonſarum, quæ detentis pilis candidiores apparent pręſertim lotę, grex multitudo, oues fideles, quę vniuntur, & Gemelli fœtus vacuam iuxta pedes implent ideſt duo populi, duo pręcepta charitatis, duo Teſtamenta, duæ ſpecies Sacramentales, Doctrina Sacra, & humana quibus Prędicatores vtuntur ad nutriendum populum verbo Dei. Pręcepta, & Euangelica Conſilia quibus roborantur fideles ad benè agendum. Sterilitas Prędicatoris inefficacia ad gignendos filios, per fidem, gratiam, & bona opera. Senſa ſunt. 1. De Prędicatoribus. Dentes ſunt Prædicatores, qui contemplatione, & vitę exemplo doctrinam maſticant, vt conuenien-

uenienter populum fidelē erudiant. Sunt ouibus tonſis ſimiles, quatenus à temporalibus, & concupiſcentijs abſtinent: vt puriores, & promptiores ſint ad prędicãdum verbum Dei. Gemelli fœtus ſunt, tum vita mixta ex contemplatione, & actione, in qua Prędicatores Euangelici verſari debent; tum populus Iudaicus, & Gentilis, quos Dei verbo debēt ad Chriſtum trahere, & filios Dei efficere per fidem, & gratiam: tum alia quæ paulò ante ℣.1. n.2. dicta ſunt. Dictum eſt Capillos in Iuſto eſſe cogitationes, dicamus in Iuſto dentes eſſe electiones, vt enim dentes maſticando prępara nt cibum ad nutritionem, & vitæ conſeruationem; ita bona electio operum bonorum prępara- tio quædam eſt, vt opera proſint ad vitam æternam. Opera cibi rationem habent, vt indicat Chriſtus: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, & perficiam opus eius.* Io.4. Gemelli fœtus, qui electionem perfectam reddunt ſunt Inquiſitio, & Iudicium. Inquirenda ſunt enim media cõgruentia fini recto, & iudi-

cium firmandum de medio congruentiore, vt electio sit recta. Lauacrum, quo mundæ electiones redduntur iustorum, sunt diligens examen Conscientiæ, & Confessio Sacramentalis, & Contritionis actus. 3. De Religiosis. Dentes Monachos exprimunt, quatenus enim candidi sunt, Monachorum puritatem indicant, lachrymis acquisitam; quatenus fortes Monachorum constantiam, patientiam, victorias contra tentationes significant, vt Dentes carnem non habent, nec pellem; ita Religiosi temporalibus bonis exuti. Dentes magno ordine inter se nexi, in Religiosis nihil non ordinatum. Dentes cibum masticant: hi contemplantur etiã pro Ecclesiæ bono orant, vt in Dentibus, ita, & in Religiosis sunt superiores, & inferiores. Lauacrum est primus Baptismus & ingressus in Religionem, qui quasi alter Baptismus se habet. Gemelli fœtus sunt verbum, & exemplum, quibus fideles ædificant.

℣. 3. *Sicut vitta coccinnia labia tua, & eloquium tuum dulce.* Interpretatio. Lau-

dat

dat pulchritudinem labiorum. Sensa. De Prædicatoribus. Labia Ecclesiæ sunt Prędicatores, per quos Ecclesia doctrinam Sacram, & vitæ pręcepta loquitur. Hi quasi vitta sunt, tum quatenus sua prędicatione auditores retinent, ne in errores, & vitia diffluant: tum quatenus Fidei doctrinam prædicant, quæ mirè sibi consentiens est: tum quatenus præcipuè, sacræ prędicationis materia est nostra redemptio, quæ Christi passionibus, & sanguine profecta est. Sunt vittæ coccinneæ, quatenus charitati feruent, & zelum habent animarum. Eloquium eorum dulce, quatenus Doctrina Sacra, quam prædicant, maximè delectat. 2. De Iusto. Iusti hominis sermo describitur, qui similis dicitur vittæ, tum quatenus iustus linguā frenat, ne in verba noxia, & vana diffluat, tum quatenus charitatem intendit, & auget, nempè vnionem cum Deo, & cum proximis. Similis dicitur coccino, tum quatenus est charitate formatus, tum quatenus mortificationis actus semper est exercitus; dicitur esse dulcis, tum quia solet esse de-

diuinis, quæ dulcissima sunt, tum quia nihil habet asperum, nec amarum, nullo modo proximum lædens. 3. De oratione Iusti. Iusti hominis oratio describitur, quę vitta est, tum quatenus Deum ligat. Coccinea dicitur, quatenus desiderio, & charitate rubet. Dulcis quatenus humilis, & diuinis laudibus intenta.

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet. Interpretatio verborum. Pulchritudinem genarum laudat. Sicut fragmen, idest, sicut cortex mali punici. Sensa sunt. 1. De Prædicatoribus, & Sacerdotibus, siue de Ecclesiastica Hyerarchia. Malum punicũ est Ecclesia, quæ per vnionem Fidei, & Gratiæ sibi multos populos, quasi multa grana sub vno cortice congregant, atque in eadem conseruant; vt cortex punici mali grana. Item hi Genæ, siue facies sunt Ecclesiæ, quia per horum prædicationes & instructionem cognoscitur vera Ecclesiæ Doctrina. 3. Intrinsecus latens, est tũ intelligentia diuinorum, quæ latet in mẽte Prędicatorum, ac Doctorũ Ecclesiæ, tũ

pro-

profundiora ſenſa ſacrarum Scripturarũ. Sacerdotes, vt dignè obeant miniſteria, hierarchicha ſacrificandi, Sacramenta miniſtrandi, prædicandi, debent in eam curam incumbere, vt puri ſint, vt ædificatiui; vt docti, vt zelum habeant animarum, contemplatiui, & à curis temporalibus liberi. Vitæ puritatis, & bonum exemplum, & zelus animarum mali punici rubore ſignificatur. Doctrina, & Contemplatio, ac receſſus à curis temporalibus indicatur per id, quod intrinſecus latet. Secundus ſenſus eſt de Doctrina Fidei. Malum punicum eſt doctrina Fidei, quæ ſub vno motiuo credendi, quod eſt Diuina Veritas, multa dogmata, & myſteria inter ſe conuenientia, quaſi multa grana ſub vno cortice congregat. Cortex, ſiue Genæ ſunt teſtimonia externa, vt Martyria, Miracula, morum renouatio, multitudo credentium, & ſimilia: quæ Fidem chriſtianam euidenter credibilem probãt eſſe. Intrinſecus latens, ſunt teſtimonia extrinſeca, quæ idem probant, vt ſenſus internus, & iucunditas mentis circa Fi-

dei myſteria. 3. Tertius ſenſus eſt de vita mixta, malum punicum eſt vita mixta, idest vita actiua, quæ neceſſariò contemplatiuam ſupponit, vt rectè agatur, quæ in ſpirituali actione verſatur purgandi alios, illuminandi, perficiendi, quæ eſt vita perfectiſſima, imitatio perfecti Dei. Cortex mali punici eſt vita exterior, actio purgandi, illuminandi perficiendi; quod intrinſecus latet, vt Contemplatio, amor in Deum, zelus animarum. Hanc vitam præſtantiſſimè exercuit B. Virgo. 4. Quartus ſenſus eſt de Martyribus. Cortex mali punici rubicundus, & aſper ſunt Confeſſio Fidei, & Martyrum paſſiones, quod intrinſecus latet eſt Fides interior, & zelus gloriæ Dei. 5. Quintus ſenſus eſt de Virginibus. Cortex mali punici eſt pudor virgineus, & modeſtia, quatenus aſper, & amarus, eſt pœnitentia, & alia, quæ ad cuſtodiam virginitatis adhibentur. Caſtitaſque eſt quædam, quæ immortalis gloriæ ſtatum repręſentat. Intrinſecus latens in Virginibus, eſt ipſa virtus Virginitatis, & contemplatio diui-

norum

norum, & amor erga Deum, quæ consequuntur ad reformationem concupiscentiæ carnalis. Cogitat Virgo, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo.

℣.4. *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est, cum propugnaculis. Mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Interpretatio verborum. Colli Spōsæ pulchritudo laudatur, & colli ornamenta. Sensa sunt. 1. De Ecclesia. Collum Ecclesiæ sunt Pastores, Doctores, Prædicatores, Sacerdotes, ex his tanquā ex collo habetur vox Diuini Verbi, cibus doctrinæ, & gratiæ per Sacramenta. per hos habentur Spiritus animales, idest instructio, & affectus ad benè operandum. Hi turris rationem habent, quæ tuentur ab hostibus tum visibilibus, tum inuisibilibus Propugnaculorum, Clypeorumque rationem habent, horum diligentia, doctrina, & bonum vitæ exemplum. 2. De B. Virgine. Collum est, B. Virgo, tum quia vt collum vnit caput cum reliquo corpore, ita B. Virgo per exhibitionem suæ carnis vniuit Christum caput Ecclesiæ, cum

myſtico Chriſti corpore Eccleſia, tum quia vt ex collo emittitur vox, ita ex B. Virgine cõmunicata ſunt Apoſtolis multa myſteria Chriſti, & Doctrinæ Chriſtianæ dogmata; tum quia vt per collum deſcendit in corpus motus, ita per B. Virginis interceſſionem, deſcendit in populũ Fidelium multitudo diuinorum beneficiorum. Turris eſt B. Virgo, quia ipſa Refugium peccatorum; per ipſam defendimur ab hoſtium ſpiritualium incurſibus. Altitudines, & pinnæ, ſunt in B. Virgine, tum ſcientiæ infuſæ, tum perpetua Contemplatio, tum immenſitas gratiæ, tum excellentia gloriæ, tum dignitas Diuinæ Maternitatis. Clypei in Virgine ſunt multitudo virtutum. 3. De Iuſto. Collum in homine iuſto, eſt bona voluntas, Diuinæ Voluntati conformis, ex ea promanat motus, & cibus operum bonorum. Habet rationem altiſſimæ Turris, quatenus non adheret amore viſibilibus, ſed æternis. Altitudines, & pinnæ ſunt diuinorum contemplatio, Virtutes Theologales, Clypei ſunt Virtutes Cardi-

nales

nales, & actio recta.4.De lege Euãgelica. Lex Euangelica Colli rationem habet, tum quatenus per illam vnimur Capiti Christo, vt per collum corpus vnitur Capiti; tum quatenus per illam habemus gratiam, & Sacramenta, prȩsertim Eucharistiam; vt per collum habetur cibus, & spiritus animalis. Habet rationem Turris tuentibus ab incursibus hostium, & saluantis, quatenus qui eius doctrinã non amplectitur, non potest saluari. Propugnacula sunt Consilia Euãgelica. Clypei sunt, tum diuina auxilia, quæ secum affert Lex Euangelica, tum signa facientia euidentiam credibilitatis pro eius veritate, tum Catholica Dogmata, quibus se contra omnes alias doctrinas, & sectas tuetur.

℣. 5. *Duo Vbera tua, sicut duo hinnuli Capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Interpretatio verborum. Laudantur Sponsæ Vbera. Sensa sunt. 1. De Doctoribus, Prȩdicatoribus. Sponsæ duo Vbera sunt Doctores, & Prȩdicatores, tum quatenus dupli-

duplicem charitatis dilectionem prædicant, & docent; & ita lac puræ doctrinæ populis præbent. Tum quatenus duas Sacræ Doctrinæ pupillas exhibent, vetus, nouumque Testamentum. Tum quatenus duos populos alendos suscipiunt verbo Dei, Iudaicum, & Gentilem. Tum quatenus Fideles ędificant verbo, & exemplo. Tum quatenus duplicem Theologiam explicant, litteralem, & mysticam. Tum quatenus lac Fidei populis propinant per verbum Dei, & lac gratiæ per Sacramenta. Hi pascuntur in lilijs, idest, audiunt quæ docent, è sacris literis, è traditione Apostolica, è Vitis Sanctorum. Idque magna cum diligentia nituntur efficere totū hoc tempore mortalis vitæ. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, vt explicauimus c.2.℣.17.5.4. De fidelibus ac iustis. Duo iustorum vbera sunt duo actus Charitatis in Deum, & in proximos vel duo opera misericordiæ spiritualia, & corporalia. Hinnuli gemelli sunt intellectus, & voluntas. Pasci inter lilia, est contemplari Christiana mysteria diuina,

attri-

attributa, exempla Sanctorum, & erga illa affici: est diuina gratia refici per Sacramenta; Dies aspirans est tempus gratiæ: sunt diuinæ inspirationes, & ęterna fœlicitas. Vmbræ inclinantes sunt veteres cœremoniæ; est obscuritas Fidei. 3. De B. Virgine. Duo Virginis vbera sunt Virginitas, & fœcunditas, quibus simul cõcurrentibus, Verbum Diuinum est Homo factum, & à Maria lacte nutritum. Duo Virginis vbera sunt Contemplatio, & Actio erga filium, quibus quasi pascebatur Filius, quatenus his Matris operibus delectabatur. Duo Virginis gemelli, Virginis Intellectus, & Voluntas, quæ duæ potentiæ semper pascebantur in lilijs, id est in contemplatione, & amore summi Boni, actus purissimi.

℣. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris*. Difficile est his verbis sensum inuenire, qui cum superioribus, & sequentibus connexionem habent. An per montem myrrhæ, intelligantur Vbera Sponsæ, an verò Hortus Sponsi. Sensa. De primo Christi aduentu ad sibi copulan-

landam Ecclesiam, quam ab æterno formosissimam prędestinauit. Verè enim Ecclesia mons myrrhę, tum quatenus habet sacrificium Eucharisticum, representatiuum amarissimæ Christi passionis, tum quatenus habet Sacramenta, remedia contra putredinem peccatorum. Verè est mons Thuris, quatenus in ea est vera Religio, vera doctrina, & veræ virtutes. 2. De Christi ascensu in montem Caluariæ, qui Mons Moria dictus, idest Myrrha, seu Amaricatio Dei: quia ibi Deus crucifixus, & mortuus. Idem Collis thuris: quia ibi oblatio est Deo sacrificium, infinitè suaue, gratumque. Ibi remediũ adhibetur putredini nostrorum peccatorum. Vadam inquit ad montem myrrhæ, collemque thuris, quoniam eo immolari, vt efficiam mihi Sponsam sine macula. Inuito ad eũ montẽ sponsã, vt me in passionibus imitetur: vt meo sanguine omnem maculam abluat. De Christi ascensu in Cœlum, Mons myrrhæ cœlum appellatur; quatenus in Cœlo nulla est putredo peccati, nec mortalitas corporũ

glorio-

gloriosorum, est Mons thuris: quia perpetuum ab Electis sacrificiũ laudis Deo exhibetur, & inquit Christus eo parare vobis locum. 4. De Christi aduentu in Animam Iusti. Mons mirrhæ est excellẽs mortificatio; Collis thuris est excellens Deuotio. His virtutibus Christus delectatur in iustis, in quibus habitat per gratiam.

℣.7.8. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Interpretatio verborum. Laudatur Sponsæ pulchritudo in vniuersum, macula symbolum peccati, quatenus peccatum est defectus nitoris, qui est in anima per lumen rationis, & legis diuinæ, à quo nitore peccando recedimus, dum contra lumen rationis, legisque Diuinæ adhęremus voluntate, creaturis. Sensa sunt. 1. De Ecclesia Militante, quæ tota pulchra est, & sine macula ratione doctrinæ, quæ purissima est, sine vlla erroris admixtione; & ratione gratiæ iustificantis, quæ peccata omnino delet, & tollit. 2. De Ecclesia Triumphante, quæ nullam admittit admixtionem malo-

malorum, nec vllum, vel leuem peccati labem, aut prauitatem voluntatis. 3. De B.Virgine quæ non ſolum non mortalẽ, non venialem, ſed neque originalem contraxit.

Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cupilibus Leonum, de montibus Pardorum. Interpretatio verborum. Inuitatur Sponſa à locis incultis ad hortum, & delicias Sponſi. Veni, veni ideſt mecum venies à Libano, terminos Terræ Promiſſionis. Senſa ſunt. 1. De vocatione Gentium ad fidem, Libanus, alijque Libano iuncti montes eſt ipſa Gentilitas, & Idolatria, & Philoſophia erroribus plena; Leones, & Pardi ſunt Gentilitatis vitia, pręſertim Superbia, & Luxuria; ex quibus alia vitia progignuntur. Corona eſt Dignitas filiorum Dei, quam habet per gratiam, & præmiũ Eccleſiæ, quod Principes ſæculi Euangelio ſubiecerint. 2. De Iuſtificatione quatuor montes, ſunt quatuor actus valdè difficiles, qui diſponunt ad iuſtificationẽ

Fidei,

Fidei, Spei, Charitatis, & contritionis: ad quas eliciendos est necessarium diuinum auxilium: ideo ait: mecum de Libano. Leones, & Pardi, peccata; cubilia, mali habitus, & occasiones peccandi, quæ deserere oportet per veram pœnitentiam, vt homo iustificetur. Coronaberis. 3. De fuga sæculi; montes sunt tres concupiscentiæ, carnis, diuitiarum, honoris; quæ superantur, ac frænantur per sua vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Cubilia Leonum, ac Pardorum; sunt Patria, Consanguinei, & Commoda temporalia. Corona est diuinum seruitium; quia seruire Deo, regnare est. Corona est diuinorum contemplatio, qua fruitur is, qui se abdicat à temporalibus. 4. De Cœli fœlicitate. Libanus est Ecclesia militans, quæ in ea dealbamur per Baptismum, & alia Sacramenta. Amana, est Fides, Hermon est vera Religio, qua Deo consecramur. Cubilia Leonum, & Pardorum, est vita præsens, quatenus est locus tentationum. Leones, & Pardi, Diabolus, & impij. Corona fœlicitas æterna, quatenus est

est præmium bonorum operum.5.Horum quatuor figura fuit ingressus Isdraelitarũ in terram promissionis, Deo duce, è Libano, & alijs montibus, qui sunt Terræ Promissionis terminus.

℣.9. *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorũ tuorum, et in uno crine colli tui*. Interpretatio verborum symbola. Tantam ait Sponsæ pulchritudinem esse, vt ad vehementem sui amorem excitandum in Spõso, vnius oculi, vnius crinis aspectus satis fuerit. Sensa. 1. De Ecclesia. Sponsæ oculi sunt Doctores, Crines Populus fidelis. Crines collo adhęrentes sunt fideles, quatenus Doctorum doctrinę adherent. Vnus oculus dicuntur Doctores, quatenus vnũ omnes docent; vnus Crinis, fideles, quatenus vnam fidem amplectuntur, & inter se charitate coniuncti sunt. Vulneratum se Sponsum dicit in oculo, & in crine, tum quatenus mirè diligit Doctorũ Catholicorum veritatem, & Populi Christiani simplicitatem in credendo; tum quatenus pro Doctorum veritate, & pro

popu-

populi fide verè vulneratus, & mortuus eſt. 2. De Iuſto. Duo ſunt oculi, contemplatio Diuinorum, & rerum ſenſibilium cognitio; vterque oculus amatur à Deo, ſed in primis Contemplatio diuinorum; qui vnus oculus dicitur, quatenus circa ſummum ens verſatur; quod vnum eſt. Collum eſt voluntas: colli ornamenta, virtutes: inter quas excedit charitas; qua ſe captus Chriſtus affirmat; quia diligit diligentes ipſum.

℣. 10. *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea Sponſa, pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Interpretatio verborum. Laudat in Sponſa vberum pulchritudinẽ, ſuauitatem, fragrantiam. Senſa. 1. De Eccleſia. Vbera Eccleſię ſunt Doctores, & Prædicatores. 2. Doctrina, & Sacramenta. 3. Euchariſticum Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini. 4. Duo teſtamenta vetus, & nouum. 2. De Iuſto. Vbera ſunt 1. Duplex charitatis præceptum. 2. Contemplatio, & Actio. 3. Intellectus, & Voluntas. Hæc, & alia vide ſupra in

locis citatis. Quoniam autem Aromata virtutes, & bona opera significant, odorem vnguentorum Sponso, esse suauiorẽ, odore omnium aromatum, est, Charitatem esse præstantiorem omnibus virtutibus alijs, & Doctrinam Catholicam, perfectione, vtilitate, iucunditate cæteras superare.

Fauus distillans labia tua Sponsa, mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Intepretatio verborum. Laudat suauitatem sermonis, & vestimentorum fragrantiam. Sensa. 1. De Prædicatoribus. Labia Ecclesiæ sunt Prędicatores, qui fauus sunt; tum ratione corporis, quatenus labijs carneis loquuntur, tum ratione verborum sensibilium, quibus loquuntur, & quibus scripta est Diuina doctrina, mel, & fauum, est intelligentia, & sensus tum litteralis, tum mysticus, qui prędicatur. Lac est prędicatio doctrinæ facilioris pro rudibus, est mel, & lac sub lingua, quatenus bonus Prædicator meditatione parat, vtramque doctrinam, & rudiorem, & præstan-

ſtantiorem, quam prædicaturus eſt, odor veſtimentorum eſt prædicatio, quæ fit bono vitæ exemplo, quod exemplum & iucundum eſt proximis, ac vtile; & Deum placat ab eoque ſæpè multò efficacius, quam per orationem impetrat conuerſionem animarum. 2. Laudantur Iuſtorum ſermones, cogitationes, opera. Sermones, fauo comparantur quatenus compoſiti ſunt, & ſuaues, nullam præbentes offenſionem, quatenus mel fundunt diuinæ laudis, & proximos ædificant. Mel, & lac ſub lingua, eſt puritas, & Sanctitas cogitationum, quæ proinde iucunditatem afferunt menti cogitanti. Odor veſtimentorum eſt probitas operum laude dignorum eſt meritum ęternæ fœlicitatis quod bona opera habent à gratia, quæ quaſi veſtimentum eſt animæ.

℣. 12. *Hortus concluſus ſoror mea, ſpōſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Interpretatio verborum. Sponſæ honeſtas prædicatur, & fidelitas erga ſuum Sponſum. 1. De Eccleſia. Hortus eſt Eccleſia tot habens plantas, quot fideles, virtutum

floribus ornatus bonorum operum fœcundatus; Hortus conclusus est, quatenus Dei, & Angelorum, & Prælatorum, custodia munitur. Fons est Ecclesia quatenus Diuinæ doctrinæ è Scriptoribus Sacris, Diuinæ gratiæ aquam deriuat per Sacramenta. Fons signatus est Ecclesia, quatenus à Deo habet innumera signa, suæ veritatis. 2. De Anima Iusti. Hortus est anima iusti; nam quasi plantas habet virtutes infusas, & fructus spiritus, charitatem, gaudium, pacem, & alios, quos numerat Paulus. Galat.5.22. Hortus cõclusus, quatenus à temporalibus abstinet, & sensus custodit, & frenat concupiscentias. Fons est aquæ viuæ, ac salientis in vitam æternam ratione gratiæ. Fons signatus ratione efficacium auxiliorum Dei quibus gratia conseruatur. 3. De B. Virgine. Hortus conclusus, ac Fons signatus Deipara, tum quatenus Deum concepit, & peperit sine corruptione, semperque fuit Virgo, tum quia nulli vnquam bestiæ vllius peccati fuit ad illam aditus, quod vllam virtutum plantam voraret,
aut

aut aquæ gratiam inficeret.

℣.13. *Emiſsiones tuæ Paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, Nardus & Crocus, Fiſtula, et Cinnamomum, cum uniuerſis lignis Libani, Myrrha, et Aloe cum omnibus alijs primis unguentis.* Interpretatio verborum. Similitudini horti plantis, præſertim aromaticis ornati; Sponſæ decor,& fragrantia indicatur. Senſa ſunt. 1.De Eccleſia; Emiſſiones Eccleſiæ ſunt etiam homines iuſti,qui in Eccleſia naſcuntur per Sacramenta & Apoſtoli, Doctores, & Prædicatores à Deo vocati ad miniſteriũ Verbi ſalutis omnibus populis, & exempla bonorum operũ, quibus infideles trahuntur ad Fidem Chriſtianam,ac Fideles cõfirmantur, & reficiuntur. Mala punica ſunt tum Fidelium multitudo, charitate inter ſe in vno Eccleſiæ corpore vnitorũ, tum Martyrum multitudo rubens ſanguine pro fide perfuſo. Pomorum fructibus, ſunt bona Fidelium opera, vt ſupra dictum eſt. Cypri, quorum flos candidus Virgines, & Continentes. Nardi, quorum

radix breuis, & nigra, Humiles ſpiritu; Crocus aurei coloris, Diuina Sapientia præſtantes. Fiſtula robuſti corporis, & purpurei, Patientiæ virtute inſignes ex meditatione paſſionis Chriſti. Cinnamomum arbor breuis, valde odoroſa, & cinerei coloris, ſunt Pœnitentes. Ligna Libani, ſiue thuris, Contemplatiui; Myrrha, & aloe, quæ corpore à putredine ſeruant, ſunt Incipientes, & perfecti, quorum primi pœnarum timore, alij Dei amore, cuſtodiunt animam à corruptione peccati. Secundus ſenſus eſt de anima Iuſti, Malogranata, & fructus pomorum ſunt actus, & opera Charitatis, & Religionis, quibus fœcunda eſt mens iuſti; ſeptem Aromaticæ plantæ ſunt ſeptem Dona Spiritus Sancti, vel ſeptem Virtutes tum Theologales, quam morales, quas ſecum adducit gratia. Crocus eſt fides cuius obiectum præcipuũ eſt Deus, qui Trinus, & Vnus. In Croco quilibet flos habet tres flores prorſus æquales, & ſimiles, qui ſymbolum ſunt Sanctiſſimæ Trinitatis. Nardus humilis, ſpem ſignificat,


ficat, qui de se nihil præsumit, & à Deo omnia sperat. Cyprus quæ odoratior est, & calidior, Caritas est. Fistula, seu Calamus odoratus, & suauis prudentiam representat; Cinnamomum calidæ, & fortis naturæ, Iustitiam & zelus ipsius. Myrrha, & Aloe, quæ à corruptione vindicant, & morbos curant, fortitudinem, & temperantiam, quarum altera appetitum irascibilem, altera concupiscibilem frenat, & passionum languoribus medentur. Vniuersa ligna Libani, & omnia prima vnguenta, sunt omnes aliæ virtutes his virtutibus adiunctæ tum intellectuales, tum morales. Tertius Sensus. De Deipara. Emissiones Deiparæ sunt, tum gratia, & virtutes eius animæ infusæ, & harum præstantes actiones, tum Christus fons omnium bonorum, quem concepit, & peperit; tum Iustorum gratia, & virtutes, & Sanctorum æterna fœlicitas, & omnia Ecclesiæ bona, quæ à Iesu Christo Dei filio deriuarunt.

℣. 15. *Fons hortorum: puteus aquarũ viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Inter-

terpretatio verborum. Similitudine fontis, & putei Sponsæ fœcunditas indicatur. Sensa sunt. De Ecclesia, Fons hortorum est Ecclesia primitiua, quia ex ea deriuata est ad omnes Ecclesias vera Religio, ac doctrina cœlestis; fons est ratione doctrinæ facilioris. Puteus est ratione doctrinæ, ac intelligentiæ profundioris. Fons est, & Puteus aquarum viuentium, ratione Sacramentorum, quæ gratiam producunt, quæ vitam in animis exhibet. Libanus, est baptismus, per quem mundamur. Libanus est Iesus Christus, ex quo omnis aqua, gratiæ, & doctrinæ promanat. Impetus aquarum, est vis, ac virtus tum diuinæ doctrinæ, tũ gratiæ. 2. De iusto; fons hortorũ est homo iustus, quatenus verbis, & exemplis aquam Sanctitatis in alios deriuant. Puteus est aquarum viuentium, quatenus in profunda diuinorum, & æternorum contemplatione versatur; vt aureat à Libano Sapientiam, quam ipse deinde alijs cõmunicet. Libanus autem est Ecclesia. Non debet vir iustus aliud sentire in se, nec alios do-

cere

cere præter ea, quæ ad credendum, & agendum proponit Ecclesia. 3. De B. Virgine. Fons hortorum est Deipara, quatenus omnis viror gratiæ in Ecclesia militante, & omnis decor gloriæ in Ecclesia Triumphante ex Maria deriuatur, quatenus ipsa peperit Saluatorem, qui gratiæ, gloriæque auctor est. Puteus aquarum viuentium, tum quatenus gratiæ, gloriæque auctorem suis clausit visceribus: tum quatenus Mariæ anima fuit, & gratia, & sapientia superplena. Omnia autem Deiparæ Bona fluxerunt à Libano idest ex meritis Iesu Christi; fluxerunt cũ impetu, seu cum stridore; quatenus Beata Virgo omnia bona spiritualia excepit cũ magno excessu super omnes Sanctos, & quatenus eius perfectionem omnis Ciuis tum terrestris, tum cœlestis Hyerusalem admirantur, & prædicant.



CA-

CAPVT V.

℣. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.*

INterpretatio verborũ. Inuitatur Sponsus in hortum. Sensa sunt. 1. Post uentum Austri, idest Spiritus Sancti inuitat primitiua Ecclesia, Sponsum Christũ, vt delectetur fructibus, quos plantæ ab ipso satæ produxerunt, prędicationis, boni exempli, Martyriorum. 2. Offert Anima iusti Christo bona opera, quæ è virtutibus manarunt infusis per Christum simul cum gratia. O quam bellè dicere potest, qui rectè viuerit, cum ad Eucharistiam accedit: veniat dilectus in hortũ suum, & comedat fructum pomorũ suorum. 3. Hortus est vterus Virginis. Inuitant Sancti Patres Verbum Diuinum, vt descendat in vterum Virginis, & purissima eius viscera sibi vniat. 4. Hortus est Ecclesia Triumphans tot habens plantas quot

quot Sanctos. Inuitat cœlestis multitudo Christum, vt veniat per lumen gloriæ, & comedat per visionem beatam, qua Electi fiunt vnum in Deo, vt fit vnum cibus cum comedente.

Veni in hortum meum soror mea Sponsa, messui myrrham meã cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo; bibe vinum cum lacte meo; comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi. Interpretatio verborum. Narrat Sponsus conuiuium factum in horto. Sensa 1. De Ecclesia. Hortus Sponsi Ecclesia militans, ad quam per aduentum Spiritus Sancti venit Christus & messuit myrrham innumerabilium Martyrum; Aromata, Confessorum, Fauum cum melle comedit, nempè Scripturas sacras cum interpretatione iucundissima. Bibit vinum cum lacte, nempè sacrarum vehementes prædicationes cũ facilitate doctrinæ. *Comedite*, inuitat ad imitationem Sanctorum, ad recipiendam eruditionem Doctorum, & Prædicatorũ. 2. De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Venit in hortum suum Christus, cum

in vl-

in vltima cœna inter diſcipulos accubuit meſſuit myrrham ſuam, cum paſſus eſt,& mortuus; & in ſuæ paſſionis memoriam Euchariſtiæ ſacrificium inſtituit. Comedit fauum cum melle ſuo, quatenus ſub ſpeciebus panis corpus ſuum Diuinitati vnitum manducauit, & manducat quotidie Sacerdotum miniſterio, & fidelibus, qui ſunt corpus Chriſti myſticum, tradit ad manducandum. Bibit vinum ſuum cum lacte ſuo, quatenus ſub ſpeciebus vini ſanguinem ſuum Diuinitati vnitum in Euchariſtia bibit, nobiſque ad bibendum tradit. Melle, lacteque ſignificatur, tum Diuinitas, quatenus eſt ſumma Bonitas, & omnis dulcedo, tum Conſolationes ſpirituales, quas Euchariſtiæ Sacramentũ parit. Ad cuius frequentem vſum nos inuitat, *Comedite amici.* 3. De fœlicitate Sanctorum. Venit Chriſtus in hortum, cum in Cœlum aſcendit. Metit myrrham ſuã cum aromatibus, cum Martyres, & reliquos Sanctos, è terra in cœlum trahit. Fauus cum melle, & vinum cum lacte eſt Viſio Beatifica Dei, cum fruitione vocantur

tur ad æternam cœnam electi, qui & carissimi Deo.

℣.2. *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Verba. Et dormiens de Sponso meo cogito. Sensa sunt. 1. De Ecclesia. Dormit Ecclesia, cum quiete agit respectu persequutionum in corpore sæuientium. Cor Ecclesiæ vigilat, cum Patres de fide stabilienda in doctrina, de morum reformatione de hæresibus extirpandis cogitant. v. De Anima Iusti, cum se à temporalibus seiungit, & curis terrenis non occupatur. Vigilat cor iusti, quatenus Diuina contemplatur, & inhiat æternis. 3. De B. Virgine. Habuit B. Virgo ab instante suæ Conceptionis scientiam infusam diuinorum, quæ non dependebat à phantasmatibus. Ideo etiam dormiendo contemplatione fruebatur.

Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Verba. Pulsat Sponsus, & vrget ingressum ad Sponsam. Sensa. De Vocatione ad auxilium animarum.

Caput

Caput Christi Deus 1.Corin.11.3.Caput Christi Prælati; Ros frigidissimus hæreses, & alia genera infidelitatis. Ros, Ambitio, auaritia, luxuria, & alia peccata. Cincinni Christi populi, quatenus eorum auxilium dependet à Prælatis, qui sunt caput Christi, & Cincinni pendent ex capite. Vocatur Sponsa ad aperiendum, ac ad refrigerandum Sponsum à frigore nocturno, quatenus vocantur qui se à sæculi curis separarunt; qui vitę contemplatiuæ exercitijs vacant ad regimina Ecclesiæ, ad prędicandum, ad reformationem Sacerdotum, & Populi christiani ad hæreses extirpandas. 2. De vocatione à statu peccati, ad statum gratiæ, & ad bona opera. Somnus, statum peccati significat. Rom.13.11. Vox dilecti sunt internæ inspirationes; verba blanda. *Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*. Vel exprobrat ornamenta gratiæ, quæ anima per baptismum recepit, & postea peccando amisit, vel inuitat ad eadem gratiæ ornamenta si à peccato resurgat: Dicere caput esse plenum rore, & cincinni guttis

noctium

noctium est ad pœnitentiam inuitare; vel proponendo rorem iucundissimum exhibendæ misericordiæ, quam cogit exhibere, vel inspirando memoriam suarum passionum, quas pro animarum salute, tempore suæ mortalitatis suscepit. 3. De vocatione ad perfectionem. Somnus, pigritiam, desidiamque significat. Prou.64.9. à qua nos excitat Dominus. *Aperi mihi.* Aperimus Domino, cum nos præparamus actibus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Religionis; quatuor autem blandis verbis, quatuor gradus Sanctitatis proponunt, ad quos debemus aspirare; nempè ad perfectam obedientiam. *Soror mea*, qui fecerit voluntatem Patris mei (inquit Christus) ipse meus frater, & soror est, ad familiaritatem cum Deo, *amica mea*, ad puram in omni opere intentionem. *Columba mea*, ad vitandam omnem culpam etiam leuem. *immaculata mea*, quoniã autem Ros in bonã, & malã partem potest accipi. Indicantur duæ rationes, quæ nos vrgere debent ad perfectionem, nempè prompta Dei voluntas

ad cu-

ad cumulandum nos donis, & Christi passiones, quæ nobis omnem gratiam meruerant, quia caput meum plenum est rore, misericordiæ, passionum.

℣. 3. *Fxpoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomode inquinabo illos*. Verba. Sponsa tergiuersatur aperire. Triplex sensus est, respondens triplici sensui versus præcedentis. 1. Sæpe tergiuersantur, qui ad auxilium animarum vocantur, diuinæ vocationi respondere; timentes ne animi quies perturbetur occasione regiminis, ne vitia redire, ne conuersando cum mundanis, iterum sordescat animus, quem lachrymis pœnitentiæ abluerant. 2. Peccator interdum non vult è somno surgere, ac Deo vocanti ad pœnitentiam resistit, terrenis commodis, & delectationibus temporalibus illectus. Terrena commoda & delectationes temporalium expoliatione tunicæ; & lotione pedum significãtur, iucundius enim dormit qui tunicam exoluit, & pedes lauat. 3. Nonnulli etiã sæpissimè non respondent inspirationibus

bus Diuinis ad perfectionem inuitãtibus, ne humanis commodis, quamuis licitis priuentur, ne tantulam mortificationis molestiam subeant.

℣.4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit, ad tactum eius*. Verba. Nisus est Sponsus ostium aperire, quo facto valdè commota est Sponsa. Sensa. Manu, inquit Grego dilectus ad Sponsam mittit per foramen, vt surgat, quando per subtilem intellectũ, quanta sit diuinæ operationis virtus, ei inspirando manifestat. Venter ad tactum contremiscit, cũ ex consideratione diuinæ potentiæ præsentis, & opem ferre volentis ad omne carnale à se depellendum accingit. 2. Manum Sponsus per foramen, mittit, cum ad difficultates omnes superandas animæ desidiosæ, suæ passionis angustias proponit. Venter ad tactum resonat, quatenus Diuinæ Vocationi respõdere decreuit voluntas.

℣.5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima*. Verba; sur-

git Sponsa ad aperiendum, allato myrrhino vnguento. Sensa. Qui Deo vocanti ad iuuandas animas, vocationi respondere volunt, myrrham stillare manibus debent; nempè statuere in opere diuinorum diuinissimo, se persequutiones, tribulationes, & martyria perpessuros, vt perpessus est Iesus Christus myrrham. Pessulum, & Cardines ostij sunt respergendi idest voluntas, quæ se habet vt Pessulum, & duo actus Inquisitionis, & Iudicij, qui se habent vt cardines.

℣. 6. *Pessulum ostÿ mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui, & non inueni illum, vocaui, & non respondit mihi.* Interpretatio verborum. Aperit Sponsa, declinat Sponsus, non inuenitur. Sensa 1. Pessulum aperit Deo, qui omnia impedimenta remouet, omnes difficultates superat, quæ retrahunt animum à parendo siue diuinis mandatis, siue consilijs, siue inspirationibus. 2. Declinare Sponsum, ac transire est animum speciali consolatione priuare, quod solet

Deus

Deus efficere, tam vt animus maiorem iucunditatem sensiat, cum redit consolatio; tum vt suorum seruorum negligentiam, torporemque puniat, tum vt doceat diuinas consolationes, non esse ex nobis, sed ex eius gratia, tum ne diuinæ consolationes nos vilescant; tum ad orandum nos excitemur. 3. Liquescit Anima, ad vocem Sponsi, cum diuinis inspirationibus tacta, duritiem deponit, & se ad omne arduum pro Dei amore promptam exhibet.

℣.7. *Inuenerunt me Custodes, qui circuierunt ciuitatem: percusserunt, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*. Verba. Vagantem Sponsam per ciuitatem circuitores vulnerant, & pallio spoliant. Sensa. 1. Custodes in bonam partem accepti sunt in Ecclesia Pastores, Doctores, Prædicatores. Hi Sponsum percutiunt, vulnerant, spoliant; quatenus in fidelium animis, qui Sponsæ sunt Christi ratione fidei: verbo Dei, & Sacramentis veterem hominē abolere nituntur, eosque à peccatis, & à

vitijs purgant. 2. Custodes in malam partem accepti, sunt mali populorum Duces ac Rectores: vt Heresiarchæ, vt mali Principes, qui volunt haberi in Ecclesia vt custodes: cum tamen illam, falsa doctrina, & malo exemplo pessundant. Percutiunt, vulnerant, cum fideles in errores, in alia scelera inducunt, & cum persequuntur, & vexant; auferunt pallium, cum in eorum animis iustitiam corrumpunt, & fidem.

℣. 8. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Verba. Cupit Sponsa suum erga Sponsum amorem, ei nunciari. Sensa sunt. 1. Adiuramus filias Hyerusalem, tum Iustos Ecclesiæ Militantis, tum Triumphantis obsecramus, vt Christum pro nobis orent, & nostrum erga ipsum amorem nostras pro ipso tribulationes proponant. 2. Post Christi in Cœlum ascensum, perpetuo desiderio B. Virgo fragrabat videndi Filium in cœlo per Visionem beatam. Probabile est hoc desiderium sæpe aperuisse fidelibus, qui secum versabantur, vt si contingisset, eos

in cœ-

in cœlum ante ipſam migrare, illud ipsã Chriſto proponerent in cœlo.

℣.9. *Qualis eſt dilectus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum; qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?* Verba. Exiſtimant Sponſi ſodales, magnam eſſe Sponſi pulchritudinem, quod tantoperè à fœmina pulcherrima deſideratur. De ea pulchritudine interrogant, Senſa. 1. Sodales Sponſæ ideſt Eccleſiæ particulares cognitionem veram myſteriorum Chriſti exquirunt ab Eccleſia vniuerſali; quæ pulcherrima eſt inter mulieres, quatenus eius doctrina omnium præſtantiſſima eſt, ob quam præſtat Eccleſia Catholica ſuper omnes ſectas. 2. Incumbendum in ſtudium cognoſcendi magis, ac magis Chriſti myſteria. De his ſapientiores interrogandi. 3. Ad Beatam Virginem recurrendum, vt per eius præces impetremus à filio diuinorum myſteriorum intelligentiam.

℣.10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Verba. Laudatur Sponſi pulchritudo, à colore, &

ſtatura. Senſa. 1. Chriſtus candidus ratione Diuinitatis, rubicundus ratione Humanitatis,& ſymbolis explicatum eſt. 2. Candidus ratione gratiæ immenſæ, rubicundus ratione immenſæ charitatis erga Deum, erga homines. 3. Candidus ratione ſummæ innocentiæ, rubicundus ratione ſanguinis effuſi pro mundi ſalute, quatenus innocens, acerbiſſima paſſus. 4. Candidus, & rubicundus ſecundum corpus: quia ſpecioſus forma præ filijs hominum. 5. Electus ex millibus, Prædeſtinatus caput hominum, & Angelorũ, & quatenus Summus Rex, & Summus Sacerdos, & quatenus ipſe ſolus filius Dei naturalis, ſolus conceptus ex Virgine ſolus mediator inter Deum, & hominem.

℣. 11. *Caput eius aurum optimum. Comæ eius, ſicut Elatæ palmarum nigræ quaſi Coruus.* Verba. Capitis, comæque pulchritudo laudatur in Sponſo. Senſa. 1. in verba *caput eius aurum optimum* Caput Chriſti Deus, qui aurum dicitur, tum ratione ſummæ perfectionis ſuper omnia, vt aurum

rum

rum perfectione superat omnia metalla, tum ratione immutabilitatis, vt aurum rubiginem non contrahit, tum ratione infinitæ Sapientiæ, & Charitatis, quarum symbolum est aurum. Alio modo Caput Christi, mens Christi aurum optimum immensa in Christo scientia, & immensa charitas. 2. In verba, Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi Coruus. Comæ Christi, vt Deus est: sunt Diuina prouidentia, Diuina Electio, Diuina iudicia, quæ Comæ dicuntur quasi Coruus, quatenus, vt ait Paulus, Diuina iudicia sunt incomprehensibilia, & inuestigabiles viæ Dei. Comæ Christi vt Hominis fuerunt cogitationes tristes de hominũ peccatis, de suis passionibus. Comæ Christi sunt multitudo pœnitentium, & Martyrum nigræ ratione pœnitentiæ, ac martyriorum. Caput Christi aureum Sancti Prælati, Comæ Christi nigræ, profunda Doctorum prudentia.

℣. 12. *Oculi eius sicut Columbæ, super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Verba Lau-

datur oculorum pulchritudo. Sensa. 1. Oculi sponsi sunt Doctores; quatenus de veritate Diuinæ Doctrinæ idem ipsi vident per Fidem, nobisque videndum proponunt, quod clarè videt, eisque per fidem videndum proponit. Columbæ sunt Doctores lacte lotæ, quatenus Diuina Doctrina pleni sunt, quæ purissima est. Resident super riuulos aquarum, & iuxta fluenta plenissima, quatenus toti sunt in studio, & in contemplatione Scripturarũ. Riuuli libros Veteris Testamenti significant. Fluenta plenissima Noui Testamenti Scripturas figurant. 2. Oculi Sponsi sunt Prælati, & Prædicatores, quatenus per eos Christus suam prouidentiã exercet erga Ecclesiam. Sunt, & quicumque homines iusti, quatenus suis animabus prospiciunt, vt salutem æternam consequantur. Columbæ sunt ob simplicitatem Christianam, & puram intentionem lacte lotæ, quatenus fide, & gratia à peccatis purgatæ. Riuuli, & fluenta plenissima, sunt Sacramenta, quibus mundãtur, si quid sordium contrahere cotrngit

inter

inter innumeras occasiones peccandi. 3. Oculi Sponsi est duplex in Christi scientia Diuina, & creata. Hi oculi similes Columbæ lacte lotæ, ratione summæ puritatis, & veritatis. Resident super aquas. quatenus vtriusque Ecclesiæ triumphantis, ac militantis multitudinem gubernat.

℣. 13. *Genæ eius sicut areolæ aromatum conditæ pigmentarijs*. Verba. Laudatur Genarum pulchritudo. Sensa. 1. Genæ in Sponso sunt Prædicatores, Martyres, & Virgines, quia per hos veritatis cognitio habetur, quatenus pura doctrina Prædicatorum, constantia Martyrum, Virginum fortitudo, & incorruptio veram esse doctrinam Fidei testantur; vt ariolæ à pigmentariis consitæ se habent, quatenus doctrinam, quam testantur per antecessorum verba, & exempla receperunt: vt areolæ ad conficienda pigmenta se habent, quatenus suis verbis, & exemplis eamdem doctrinam posteriorum animis inserunt. 2. Genæ Sponsi quasi areolæ aromatum fuerunt in Christo eius opera, quibus se, & verum Deum, & verum homi-

hominem oſtendebat; quibus ſuæ notitię ſuauiſſimum odorem in præſentium, & poſteriorum animis tranſmittebat. Pigmentarij à quibus areolæ conſitę fuerunt Prophetæ, qui multò ante Chriſti opera prædixerunt, 3. Genæ, quibus agnoſcitur Sponſus ſunt duo Teſtamenta Vetus, & Nouum, in quorum Sacris Scripturis Chriſtus agnoſcirur.

Labia eius lilia ſtillantia myrrham primam. Verba. Labia Sponſi laudantur. Senſa 1. De Chriſti prædicatione. Labia Chriſti ſtillabunt myrram primam, tum quatenus perfectiſſimam doctrinam prædicabit, ab æterna putredine præſeruantem tum quatenus ad amarum, ſed odoratum bonorum operum proſequationem vrgebant, ad bonorum temporalium abdicationem, ad odium ſui, ad tollerandã Crucem, ad perſequtiones tollerandas. 2. De Prædicatoribus Euangelicis. Labia per quæ Chriſtus loquitur ſunt Prædicatores Euangelici; hi myrrham primam diſtillant, cum ad pœnitentiam vrgent, cum æterna ſupplicia proponunt, cum

ad tri-

ad tribulationes æquo animo tollerandas Martyrum exemplis hortantur. Sunt lilia quæ ſymbolum ſunt puritatis, quatenus puriſſimam Euangelij doctrinam verbis, & vita docent. De Sacris Scripturis, labia lilia ſunt Sacræ Scripturæ veteris, & noui Teſtamenti, per quæ labia nobis loquitur Deus, & diſtillat myrrhã Sacræ Doctrinæ. Sacræ Scripturæ, lilia ſunt ratione doctrinæ puriſſimæ, myrrhã diſtillant, quatenus ea doctrina præſeruat animam à corruptione peccati, & æternæ damnationis.

℣. 14. *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Verba. Manuum pulchritudo laudatur. Tres perfectiones ſignificantur, quæ in ſingulis Chriſti operibus elucebant: prudentia, quæ quaſi tornus ſe habens aptans actiones, & informans regulæ rectæ rectitudinis. Charitas, quaſi aurum, quo referebat actionis ad Patris gloriam, & ad noſtram ſalutem. Obedientia, quatènus omnia ex Patris obedientia operabatur; atque ita in ſuis actionibus hyacintum coloris cœleſtis exprimebat.

mebat. Patris cœlestis voluntatem. Possunt etiam Christi actiones tornatiles dici 1. propter iustitiam, & innocentiam. Possunt tornatiles appellari propter humilitatem, & mortificationem, quia Christus non sibi placuit, sed humiliauit semetipsum formam serui accipiens. 2. Tres perfectiones significantur, tum naturalibus, tum supernaturalibus Verbi. Manus tornatiles, sunt opera Dei, quatenus perfectissima, *valde bona*. Sunt manus aureæ, quatenus summam Dei sapientiã singulæ repręsentant; sunt plenæ hyacintis omni gemmarũ genere propter multitudinem, & varietatem. 3. Tres perfectiones indicantur, quæ sunt in bonis Christi ministris. Vitæ puritas, quæ per tornationem significatur, & abducationem temporalium, Doctrina, & Sapientia, quæ auro exprimitur. Exercitium diuinarum actionum, sacrificandi, ministrandi Verbum, & Sacramenta, quorum symbolum, Gemmæ præstantissimæ. Possumus etiam per hyacintum molitiones, cogitationesq; cęlestes accipere iuuandarum animarum.

Ven-

Venter eius eburneus distinctus sapphiris. Verba. Laudatur pulchritudo ventris. Sensa. 1. Venter fuit in Christo humanitas, quatenus mortalis, & passibilis, eboris candor, vitæ innocentia, Sapphirus coloris aeris, fuerunt doctrina stabilis, quam Christus prædicabat, & miracula, quæ virtute Diuina patrabat. 2. Venter in Christi corpore mystico, sunt homines Iusti, quatenus ex se fragiles sunt, & concupiscentijs obnoxij. Sunt ijdem Venter Eburneus, ratione gratiæ diuinæ; à qua, & candorem iustitiæ accipiunt, & robur contra tentationes; sunt ijdem Venter saphiris distinctus, ratione virtutum, à Deo infusarum simul cum gratia; & ratione bonarum actionum, quas per Dei auxilium operantur,

℣. 15. *Crura eius columnæ marmoriæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Verba. Crurarum pulchritudo laudatur. Crurum laus, rectitudo, candor, firmitas. Sensa 1. Crura Christi, sunt eius Incarnatio, & Passio, à quibus Corpus Christi mysticum sustentatur, quæque illud ad fœlicitatem

ratem perducuut. Ea crura, quasi Co-
lumnæ marmoreæ se habent propter effi-
cacitatem. Bases aureæ sunt Diuinum
Consilium, & Decretum de humani ge-
neris salute per Verbi Incarnationem, &
passionem. 2. Crura Christi sunt Aposto-
li, & Prędicatores Euangelici, qui do-
ctrinam Fidei docentes portant Christum
per omnes gẽtes. Sunt Columnæ marmo-
riæ quatenus doctrinam, quam prædicant
purissima est, & solidissima, fundantur au-
tem super bases aureas, nempè super di-
cta Prophetarum, quæ sunt verbum Dei,
& super dicta Christi, qui ipsa veritas est,
& summa Sapientia. 3. Crura Christi sunt
in mystico Christi corpore deliberatio-
nes, & electiones Iustorum, quibus iusti
progrediuntur ad opera bona; & Crura
Columnæ sunt propter rectitudinem ex
conformitate cum recta ratione. Habent
marmoreum colorem, seu candorẽ, qua-
tenus carent maculis peccatorum. Super
bases aureas fundantur, quatenus propo-
nat sibi finem, Dei gloriam, Dei volun-
tatem, Dei seruitium, salutem proximorũ.

4. Duo

4. Duo Christi crura, super quæ, vt super columnas marmoreas ędificąntur fideles, & sustentantur, qui sunt corpus mysticū Christi, sunt Scripturæ Sacræ, & Traditio Apostolica, vel vtrumque Testamentum vetus, & nouum, quæ fundantur super bases aureas, idest super auctoritatē Dei; sunt enim Verbum Dei. Hoc innuunt verba Pauli: *Fundati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christi Iesu.*

Species eius, vt Libani, electus vt Cedri. Interpretatio verborum. Totius corporis laudatur pulchritudo. Sensa. 1. Libanus est Iesus Christus, mons altissimus ratione Diuinitatis, quæ summum Ens. Arbores, & herbæ, sunt in Christo scientia, virtutes, & merita. Niuis candor, Innocentia, & Gratia. Thus doctrina, prædicatio, & miracula. Fontes Sacramenta, menta, per quæ deriuatur aqua gratiæ. Cedrus est Christus, quatenus est Summus Rex, ac Sacerdos; electus, quatenus prædestinatus ab æterno caput hominum & Angelorum. 2. Libanus est Corpus

Chri-

Christi mysticum, multitudo Fidelium. Mons altissimus ratione doctrinæ Diuinę, ac Sanctitatis. Arbores sunt Apostoli,& Doctores, herbæ aromaticæ, reliqui Iusti fragrantes odore bonorum operum. Cedri sunt Angeli expertes corruptionis nénpè peccati, quibus sunt similes homines iusti, ratione gratiæ, quæ est bonum stabile. 3. Tropologicè; quoniam iusti, vt ait Paulus sunt conformes imaginis Filij Dei. Libanus mons altissimus est homo iustus ratione gratiæ, quæ est participatio Diuinæ naturæ. Arbores proceres sunt Virtutes Theologicæ; Herbæ aromaticæ Virtutes morales. Thus Contemplatio,& Oratio. Fontes opera misericordiæ, electos vt Cedri, prædestinatus ad æternam fœlicitatem, vt Angeli.

V. 16. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis; talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Hyerusalem.* Verba. Laudatur vox, siue halitus Sponsi, & omnis eius pulchritudo. Sensa sunt 1. Guttur in Christo, quatenus ex eo voces procedunt, est Christi Doctrina, quam

& ipse

& ipſe prædicauit, & prædicandum Diſcipulis exhibuit, quæ doctrina iucundiſſima eſt, tum ratione veritatis, quæ eſt obiectum, tum ratione æternæ fœlicitatis quam promittit in præmium bonorum operum. 2. Guttur ſuauiſſimum, quatenus deglutit ſapores ſuauiſſimos ideſt in Chriſto, tum eius miſericordia, tum B. Virgo Mater Chriſti, per quæ tranſmittit in myſticum Corpus dona gratiæ, tum amor, per quem ſibi vnit tanquam cibum ſuauiſſimum, Iuſtos. 3. Guttur in Chriſto ſuauiſſimum, quatenus ex eo iucundiſſimum halitum eſpirat, eſt Spiritus Sanctus, à quo ſeptem inſpirationnm genera procedunt: Sapientię, Intellectus, Conſilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, Timoris Domini. 4. Totus deſiderabilis eſt Ieſus Chriſtus Deus, & Homo; quatenus Deus eſt Summum Bonum; noſtra fœlicitas explens omne deſiderium; quatenus homo totus à nobis amabilis, tum ob perfectionem omnium virtutum, quibus præditus: tum ob nimiam in nos charitatem, qua ſe nobis totum tradidit in fra-

trem, in redemptionem in cibum.

℣. 17. *Quo abijt dilectus meus, ò pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum*: Verba. Auditis Sponsi laudibus accenduntur Adolescentulæ desiderio, quærendi illum, & videndi. Sensa sunt. 1. Sponsa est Ecclesia primitiua, quæ Christum gentibus prædicabat eius perfectionem, eius merita, & redemptionem ab ipso factam. Adolescentulæ sunt gentes cupidæ videre illum, & eius fidem amplecti. Declinauit Christus in Cœlum, non prorsus abijt, redibit in die Iudicij, redijt per aduentum Spiritus Sancti, redijt quotidie per auxilia, quæ præbet Ecclesiæ per gratiam, per Eucharistiæ Sacramentum. 2. Sponsa est Ecclesia vniuersalis. Adolescentulæ sunt Ecclesiæ particulares. Hæ ab Ecclesia Vniuersali doceri debent vbi sit Christus idest, vera Christi fides. Christus declinat, cum hæreses, & errores permittit. 3. Sponsæ rationem habent Prælati, Doctores, Sacerdotes, Adolescentularum rationem habent Fideles, à quibus Christus

ſtus abeſt, cum in peccata mortalia labuntur; declinat cum tentationes permittit, ac deſolationes. Ad Sacerdotes recurrendũ eſt, per Sacramenta, quæ Chriſti gratiam conferunt; per directiones ſpirituales, vt Chiſtum contemplatiōne, & actione inueniamus, per rimedia ad vincendas tentationes.

CAPVT VI.

℣. 1. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuũ ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.

VErba. Poſt diuturnam inquiſitionem, deprehendit Sponſa, quo Sponſus abierit nempè ad ſuum hortum. Senſa 1. Deſcenſus Sponſi in hortum ſuum, fuit aduentus Chriſti in Synagogã, quam aromatibus ornauerat Sanctorum Patrum, & Sacrarum Scripturarum ex qua lilia colligit Apoſtolorum, & primorum Fidelium. 2. Deſcenſus Sponſi in

hortum ſuum, eſt aduentus Chriſti per gratiam in Eccleſiam, & in mentes iuſtorum, in quibus plantat aromata virtutũ. Colligit lilia Doctorum, Martyrum, Virginum, quæ in Cœlum transfert. 3. Deſcendit dilectus in hortum ſuum, quando à ſinu Patris venit in vterum Virginis, quam aromatibus plenam reperit, nempè gratia, & omni virtutum genere, ex quo colligit lilia Virginitatis, innocentiæ, & puræ intentionis.

℣.2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia*. Verba. Reperto inter lilia Sponſo; ait Sponſa ſe iam dilecto redditam, & dilectum redditum ſibi. Senſa ſunt ex verbis ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. 1. De Eccleſia, quæ tradidit ſe Chriſto per fidem; Chriſtus tradidit ſe per Incarnationem Eccleſiæ, per mortem in redemptionem, per Euchariſtiam in cibum, & in pignus Vitæ æternæ; Eccleſia corpus Chriſti, Chriſtus caput Eccleſiæ. 2. De Iuſtis, qui tradunt ſe totos Chriſto per amorem, per conformationem cum Diuina Voluntate,

per

per Martyria pro eius fide, per labores, pro eius gloria, per imitationem. Christus tradidit se iustis per gratiam, quæ est participatio naturæ Diuinæ, & imago quędam Christi, qua ei conformes redduntur. 3. De Deipara, quæ tradidit Christo suam substantiam in Verbi Incarnatione, & se totam Diuinæ Voluntati. *Ecce Ancilla Domini &c.* Deiparæ se Verbum Diuinum tradidit in filium. Ex verbis, qui pascitur inter lilia, vel qui pascit lilijs. Sensa sunt. 1. Christum habitare in Iustis per gratiam. 2. Habitare in Cœlo cum electis per gloriam, & eorum societate delectari, præsertim Virginum. 3. Fuisse pastum lilijs purissimis, vberibus Virginis. 4. Pascere Fideles lilijs Sacræ Doctrinæ, & Sanctorum Sacramentorũ, ac sui purissimi corporis, sanguinisque in Eucharistiæ Sacramento. 5. Pascere Electos in Cœlo beata visione actus puri, diuinæ substantiæ.

℣. 3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Hyerusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Verba. Sponsæ

pulchritudo laudatur. Sensa 1. de Ecclesia, quæ dicitur pulchra, & suauis, tum ratione gratiæ, quæ diuina quadam pulchritudo est, suauem Dei spiritum secum adducens, tum ratione fidei, ac doctrinæ, quæ perfectissima est, & iucundissima *sicut Hyerusalem*, quia Ecclesia militans, Ecclesiam Triumphantem repręsentat, tum gratia, tum Dei vera cognitione. Nam Ecclesia militans suos ordines tum Doctores contra errores pugnantium, tum Martyrum contra Tyrannos bellantium, tum Virginum contra concupiscentiam militantium, habet. 2. de anima hominis iusti, quæ pulchra est, vt bona voluntas, bonitas summa, quatenus in se Deum exprimit, diuinos mores imitando. Pulchra est vt Hyerusalem, quatenus, cœlestibus spiritibus similis efficitur, contemplatione diuinorum, & amore in Deum, habet in se virtutum aciem ordinatissimā per charitatem, qua Diabolo prossime resistit, & concupiscentijs. 3. De Deipara, quæ pulchra est sicut Bonitas Diuina, quatenus Verbo Diuino maximè similis perfe-

perfectione gratiæ, ac virtutum, misericordiæ erga peccatores, Maiestatis Diuinæ, Maternitatis. Pulchra est vt Hyerusalem, quatenus vna Angelorum, Sanctorumque perfectiones complectitur. Terribilis est tum ratione Christi, quem peperit, per quam omnes Dei inimici deuicti sunt, tum ratione patrocinij pro nobis suscepti, quia potentissima est apud Filium.

℣. 4. *Auerte oculos tuos à me: quia ipsi me auolare fecerunt*, Verba. Oculorum pulchritudo in Sponsa laudatur. Sensa. 1. Videtur commendari à Christo Iesu, Sanctorum Patrum fides, & ardens desiderium Diuinæ Incarnationis, quod in Maria fragrantissimum fuit. Hoc Beatæ Virginis, & Sanctorum Patrum desideriũ & præces Verbum Diuinum è sinu Patris ad nos traxerunt, & ad exinanendum semetipsum induxerunt. Tanta Diuina Bonitas est. 2. Videtur significari, quantum Deo placent piorum amor in Deum & pura intentio eius gloriæ; quantum placent lachrymæ, ac dolor de offensa Dei;

& maximè Deus de ſua bonitate glorietur, quæ tam magna bona tribit ſuis electis: maximè de ſua bonitate glorietur, quod tam amabilis ſit. 3. Videtur ſecundum aliquos prohiberi ſenſitiuus quidẽ amor erga Chriſti humanitatem, vt contingit Petro, cum dixit: *Domine quo ibimus, verba vitæ æternæ habes*; vt auerteret fideles ab hoc amore, Chriſtus in Cœlum auolauit. 4. Videtur ſecundum alios, curioſitas repræhendi in inueſtigãdis Chriſti myſterijs, ea ſæpè cauſa eſt, auolet Chriſtus ab illis, ideſt eius fides, quia *Scrutato Maieſtatis opprimetur à gloria*; & niſi captiuetur intellectus in obiectum fidei, non intelliguntur Diuina Myſteria. 5. Videtur ſignificari, quod quanto magis Diuinam perfectionem ſpeculamur, tanto magis illa à nobis auolat; incomprehenſibilem ſe eſſe oſtendit. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. 6. Videtur eſſe monitum his, qui immoderatè Contemplationi ſedant. Solet enim accidere vt abſumptis corporis viribus, ac ſpiritibus abſcedat ſpiritualis conſolatio,

ſolet

accidere, vt suæ dulcedini consulentes, deserant auxilium animarum ex officio, vel ex charitate debitum; atque ita Deus offensus desiderat.

℣. 4. 5. 6. *Capilli tui, sicut grex caprarũ, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fętibus, & sterilis non est in eis, sicut Cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis suis.* Hæc eadem habentur c. 4. ℣. 5. 2. 4. Vide, &c.

℣. 7. 8. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adolescentularum non est numerus: Vna est Columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ, & Concubinæ, & laudauerunt eam.* Verba. Sponsæ pulchritudo omnium fœminarum pulchritudini præfertur. Sensa. 1. De Ecclesia, sexaginta Reginæ sunt homines perfecti, Episcopi, Sacerdotes, qui Christum sincerè prædicant; octoginta Concubinæ, sunt proficientes, sunt & Monachi, sunt, qui propter lucra temporalia Christum prædicant. Adolescen-

ſcentulæ ſunt incipientes, & laici. Omne hi filiæ Hieruſalem, ideſt Fideles Chriſti fidem profitentes. Vna Columba perfecta, electa eſt Eccleſia Catholica, quæ vna eſt ratione vnius capitis, vnius Fidei, & vinculo Charitatis, Columba, & perfecta ratione gratiæ, quæ dicitur vna matris ſuæ, quatenus ſola ipſa eſt Apoſtolica ex Apoſtolis deſcendens, vt filia à matre. Reginæ, Concubinæ, & omnes filiæ Sion eam laudant; quatenus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam amplectuntur profitentur, probant omnes Viri Catholici, tum ſummi, tum medij, tum infimi. 2. De Deipara. Sexaginta Reginæ ſunt Angeli, & Sancti Cœlicolæ Dei viſione, ideſt perfecta fœlicitate fruentes. Octoginta Concubinæ ſunt Homines iuſti in terra degentes, quibus ſemper hæret aliquid imperfecti. Adoleſcentulæ ſunt innuptæ, ſunt peccatores, qui diuina gratia carent, licet Filiæ Hyeruſalem ſint ratione Fidei. Vna dicitur B. Virgo, quia ipſa omnibus puris creaturis præſtantior, tum ratione gratiæ, tum ratione Diuinæ

Mater-

Maternitatis, Beatæ Virginis mater est summa Dei Bonitas, quæ ab æterno illã generauit, quatenus ad singularem prærogatiuam elegit, vt esset Mater Dei. Omnes autem tum Angeli, tum Iusti, tum peccatores fideles Deiparæ dignitatem agnoscunt, & venerantur. An Mater Deiparæ est humana Natura; cui electa, quatenus eam nobilitauit sine originalis culpa concepta, & Mater Dei effecta.

℣.9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Verba. Nuptæ, & Innuptæ pulchritudinem Sponsæ laudant. Sensa sunt. 1. De Ecclesia, quæ semper habuit veram fidem, & veram cognitionem diuinorum. Habuit se in lege naturæ vt Aurora, ratione luminis naturalis, & ratione traditionis ab Adamo deriuatæ. Creuit eius lumen, vt Lunæ plenæ per legem scriptam à Deo per Moysem traditam. Factum est maximum luminis augmentum, quasi lux Solis per Euangelium. 2. De Iusto, Is incipiens se habet, vt Aurora proficiens

vt Luna,

vt Luna ad perfectionem, & fœlicitatem prouenieus vt Sol. De Deipara. Ea in Conceptione fuit vt Aurora, ex Verbi Incarnatione, vt Luna plena, ex Assumptione vt Sol.

℣. 10. *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinasset mala punica.* Verba. Excuset se Sponsus, quod non abierit, postquam ostiũ pulsauit ob moram Sponsæ, sed vt suum hortum inuiseret. Sensa sunt, 1. De primo Christi aduentu. Descendit Christus per Incarnationem, quatenus cum in forma Dei esset, humiliauit semetipsum vsque ad mortem Crucis. Hortus nucum, vetus Sinagoga inherens cortici literæ, & dura corde. Ad quam venit Christus, vt videret, an sua prædicatione Iudæorum corda detumescerent, & in conuallibus humilitatis poma, idest, opera bona producerent. An vinea Sabaoth Fide Christiana floreret. An mala punica germinaret Diuinæ Charitatis. 2. De Ecclesia. Hortus nucum est Ecclesia militans, erumnis plena,

tam-

tamquam nux amara, & dura cortice testa: habens intus dulcem nucleum Fidei, & gratiæ. Ad quam Christus venit, quatenus eam regit, & protegit. Poma conuallium sunt humiles, & pauperes spiritu. Flores vineæ sunt incipientes; Mala punica, pacis amatores, & charitatem erga omnes exercentes. 3. De anima Iusti. Hortus nucum sunt corda Sanctorũ, quæ sub duro, & aspero cortice mortificationis nucleũ Diuinæ dulcedinis claudunt, Poma conuallium, sunt bona opera, quæ in humilitate fiunt. Flores vineæ, sunt animæ virtutes. Mala punica, sunt fructus Spiritus, Cháritas, gaudium, pax.

℣. 11. *Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Verba. Excusat Sponsa suum morem in aperiendo pulsanti ostium Sponso; & rationem reddit diligentiæ in quærendo Sponso. 1. De Synagoga. Iudeorum Synagoga ob ignorantiam, se culpabilem, quod Christus Iesus esset verus Messyas, eius verus Sponsus, noluit eum recipere, & perturbationem magnam passa est, atque scandalum

dalum ex Euangelij prędicatione ab Euā-
gelistis quatuor in omnes partes vecta,
quasi à quatuor quadrigis, cuius prædi-
cationis figura fuit Currus Ezechielis,
quam trahebant quatuor animalia. Pos-
sent autem, quadrigæ Aminadab, idest
Christi; accipi, per quatuor cornua Chri-
sti Crucis, & pro Ecclesijs ab Apostolo
inter gentes fundatis. 2. De Ecclesia.
Ecclesia ex Iudeis, & gentibus collecta;
fatetur se ignorantem, ob peccata vetera,
& infidelitatem; vt autem cognouit vo-
cantem Christum, statim ad eius Fidem
amplectendam cucurrisse, quasi assumptis
quadrigis Aminadab, cuius ingressus in
mare rubrum Baptismi lauacrum figura-
uit. 3. De iustificatione impij. Omnis
peccans est ignorans, *Nesciui*; quadrigæ
ob quas conturbatur animus, & vrgetur
ad Deum, sunt quatuor Nouissima, Mors
Iudicium, Gehenna, Cœlum, vel quatuor
Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contri-
tionis, qui sunt Dispositio ad iustificatio-
nem. Hi sunt quadrigæ Aminadab Prin-
cipis populi, idest Christi, Ecclesiæ capi-
tis.

tis. 4. De Deipara. Verba sunt Virginis, post quam concepit in vtero Christum, cum ab Angelo futura Mater nunciaretur, ignorans rationem, qua posset Virgo concipere, respondit; *Quomodo fiet istud, etc.* Reddita ratione, admirata est quadrigas Aminadab, idest Summi Principis Dei bonitatem, sapientiam, potentiam, humilitatem, quibus quasi quadrigis venire ad generis humani redemptionem, dignatus est.

℣. 12. *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, et intueamur te.* Verba. Hyerosolymitanæ Mulieres orant Sponsum, vt se videndum præbeat. Sensa. 1. Ecclesiæ ex Gentibus collectæ, inuitant Iudeorum Synagogam, vt ad Christi Fidem conuertatur, & ad suum verum Sponsum redeat; & per Sacramenta gratiæ Diuinæ decorem, & ornamenta recipiat: quorum pulcherrima species visu, & contemplatione dignissima. 2. Angeli Custodes hominem in peccata lapsum ad resipiscentiam inuitant, & ad reconciliationem cum Deo. Meminerit peccatrix Ani-

Anima, ſe eſſe Salamoniam, Chriſti Spõſa ratione Fidei, ſignatam Chriſti charactere, nempè Baptiſmo. 3. Hyeruſalem, Cœleſtes Ciues Deiparam in terris degentem inuitant, vt finem peregrinandi, & ad Cœli requiem æternam veniat, vt eius fruantur aſpectu, cuius immenſa tum animæ, tum corporis gloria. 4. Cur reuertere quatuor repetitur? An vt ſignificetur quatuor animi motus, nempè Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, qui motus neceſſarius eſt ad remiſſionem peccatorum, & ad Diuinam gratiam recipiendam. An vt admoniatur peccator, vt (docet Bernardus) ne in peccandi conſuetudine, nec in conſcientia peccati, neque in ſopore, & torpore ingratitudinis, aut in elatione cæcitatis perſiſtant. An vt ſignificentur quatuor modi, quibus Anima ad Chriſtum redit? Per pœnitentiam, per Confeſſionem, vel per bonã operationem, ſeu condignam ſatisfactionem. An vt indicentur quatuor gradus perfectiſſimę cõuerſionis? primò enim vocatur Homo ex infidelitate ad Fidem, deinde ex peccato

ad gra-

ad gratiam, postea ad perfectam Christi sequelam, omnibus præter ipsum renunciatis; tandem ex amore vitæ temporalis ad Martyrium.

CAPVT VII.

℣. 1. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum.*

VErba. Laudatur Sponsæ pulchritudo, cum maiestate. Sensa sunt. 1. De Ecclesia, quæ semper militat in terris contra Dœmones, & Carnem, & Mundum. Habet autem Choros, tum Doctorum, tum Virginum, tum Martyrum. Habet choros tum canentium diuinas laudes, nempè, Clericorum, & Monachorum, tum clangentium tubis, idest, vehementia sermonis ad viriliter pugnãdum excitantium, vt faciunt boni Prædicatores. 2. De Anima iusti, quæ quasi castrorum acies ordinata habet cords potentiarum inferiorum, quasi militum summo Duci præsentium, nempè rectæ ratio-

ni; habet fons Virtutum, tum Theologicarum, tum Moralium contra opposita vitia pugnantium. 3. De Deipara, quæ habet choros tum Angelorum omnium, ad sibi parendum promtissimorum, tum Ecclesiæ Doctorum pro eius Diuina Maternitate, pro eius perpetua Virginitate, pro eius omnimoda puritate pugnantiũ. 4. De Ecclesia Triumphante, quæ habet choros castrorum; sex in exercitu perfecto sunt, militum multitudo, præstantia, ordo, munerum diuersitas, obedientia, concordia; quæ sex in Ecclesia Triumphante modo perfectissimo reperiuntur: quæ semper in Diuinarum Laudum, versatur.

℣. 2. *Quã pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Verba. Laudantur in Sponsa pedum ornamenta. Sensa. 1. De Ecclesia. Ecclesię pedes sunt Prædicatores, per quos Fidei doctrina, & Christi cognitio defertur ad omnes gentes. Ecclesiæ gressus est Sacra Prædicatio, quæ pulchra est ratione doctrinæ perfectæ; ac purissimæ. Calceamenta sunt

Prædi-

Prædicatorum virtutes, & bonum vitæ exemplum; quæ mirum quantum valent ad confirmationem doctrinæ, quæ prędicatur. Porrò calceamenta è pellibus fiunt animalium mortuorum: ita virtutes & vita Prædicatorum debent esse ad imitationem Sanctorum, iam defunctorum, & in Cœlo cum Christo regnantium. Filia Principis appellatur Ecclesia, tũ quia à Summo Principe Christo generata per gratiã; tum quia ipsa Princeps est, ac Regina, quatenus hęres est Regni Cœlestis ratione gratiæ, & quatenus specialem, & Diuinam potestatem habet super Fidelium animos. 2. De Iusto. Iusti pedes sunt affectus, gressus sunt actiones, & opera. Calceamenta virtutis sunt ad imitationẽ Sanctorum, vt dictum est. Filia Principis est Anima iusti, tum ratione filiationis Diuinæ per gratiam, tum ratione liberi dominij in inferiores potentias; quæ rationi parent iam liberatæ à seruitute peccati. 3. De Deipara, Gressus idest actus Virginis pulcherrimi, idest perfectissimi, tum quatenus ab instante

Conceptionis Beata Virgo, vsque ad obitum, semper Diuinæ Gratiæ respondit, tum quatenus semper conformis fuit in eius actionibus sine vlla, vel leuissima peccati macula. Filia Principis Deipara, tum ratione immensæ gratiæ, omnium Sanctorum gratiam excidentis, ob quam dici potest Filia Dei per excellentiam, tum ratione Diuinæ Maternitatis, ob quam Beatissima Virgo est Domina omnium.

℣. 3. *Iuncturæ fæmorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.* Verba. Laudantur iuncturæ femorum. Sensa sunt. 1. De Ecclesia. Duo Sponsæ fæmora sunt duo Fidelium populi, Iudaicus, & Gentilis. Iuncturæ fæmorum sunt Scripturæ Sacræ Veteris, ac Noui Testamenti, & vna Fidei Doctrina, qua vtrique populi in vnam Ecclesiam vniuntur. Artifex est Deus, qui est Auctor Fidei; Artifex Iesus Christus, qui meruit pro nobis donum Fidei. 2. De Iusto. Duo hominis iusti fæmora, sunt duo actus Consilij, & electionis, in qui-

quibus operatio recta fundatur; vt humani corporis moles erecta à cruribus sustinetur; Duæ fæmorum iuncturæ sunt duo actus rectæ intentionis, nempè charitatis in Deũ, & in proximos; qui actus reddunt recta & Consilia, & Actiones. Artifex est Deus; quatenus opus est Diuino auxilio, vt rectam intentionem habeamus; vel duo fęmora sunt Timor æterni supplicij, & Amor Dei, & æternæ fœlicitatis; in quibus sistit iustus opus bonum. Iunctura est Fides, quæ habetur de æternitate supplicij, & fœlicitatis. De Deipara. Duæ Deiparæ fæmora sunt duæ virtutes, Humilitas, & Virginitas in quibus placuit ab ęterno Dño Deo, imponere immensam molem dignitatis Matris Dei; *Quia respexit, etc. Fecit mihi etc.* Iuncturæ fæmorum sunt Obedientia, & Conformitas cum Diuina Voluntate. *Ecce ancilla, etc.* Monilia fabricata manu artificis sunt actus obedientiæ, & conformitatis, cum Diuina Voluntate, quos Christus exhibuit Patri. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* quibus actibus similes fuerunt B. Virg. actus.

ỹ.2. *Vmbellicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Verba. Sponſæ Vmbillicus laudatur. Senſa. 1. Vmbillicus in Eccleſia ſunt Prædicatores, ac Doctores, è quibus populi auriunt alimenta Sacræ Doctrinæ, ſemper autem humor Sacræ Doctrinæ Catholicis Doctoribus à Spiritu Sancto ſuppeditatur. Sunt autem Eccleſiæ Doctores creter tornatiles, quatenus nihil eſt in eorum doctrina non conſonum rationi, nihil ab Eccleſiæ dogmatibus, Diuinaque Veritate diſcrepans 2. Vmbellicus in homine iuſto eſt appetitus. Is quaſi crater repletus bonis ſpiritualibus, quibus delectatur, non inhiat bonis temporalibus. 3. Vmbillicus in Deipara non indigens poculis eſt Ieſus Chriſtus eius filius, qui eſt crater tornatelis ratione innocentiæ, & fons omnium bonorum ſpiritualium, è cuius plenitudine omnes accipiunt.

Venter tuus, ſicut aceruus tritici vallatus liliis, Verba. Sponſæ fœcunditas, & caſtitas laudatur. Senſa. 1. De Eccleſia, quæ ventri comparatur, quatenus, vt in ventre

ventre fit animalium generatio, ita in Ecclesia fit generatio filiorum Dei. Aceruus tritici est multitudo Fidelium, iustorumque, Vallum ex lileis sunt Sancti Doctores, qui puritate doctrinæ, & vitæ Fidelium multitudinem muniunt, quasi valle, & ab incursibus hæreticorum, & Dœmonum tuentur. De Iusto. Venter est voluntas hominis iusti, quatenus per eam producuntur filij bonorum operum. Aceruus tritici sunt bona opera, æternæ vitæ meritoria. Vallium liliorum sunt virtutes, tum supernaturales, tum morales, per quas Deus iusto præbet auxilia, ne in peccatum incidat, & amittat fructum bonorum operum. 3. De Deipara. Aceruus tritici est venter Beatæ Virginis quatenus in eius vtero productũ est frumentum Electorum. Vallum liliorum est Virginitas, & immunitas ab omni peccato. 4. De Eucharistiæ Sacramento. Vmbellicus sicut crater, non indigens poculis est Eucharistiæ Sacramentũ, quod est in Ecclesia, sub speciebus vini, venter sicut Aceruus tritici, est Eucharistiæ

Sacramentum, sub speciebus panis.

℣.3. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Interpretationem vide sup. c.4. 5. *Collum tuum sicut Turris eburnea.* Expositionem vide sup. c.4. 4.

℣.4. *Oculi tui sicut piscina in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Verba. Oculorum perfectio laudatur in Sponsa. Sensa. 1. De Ecclesia. Oculi Sponsæ sunt Pastores, Doctores. Sacerdotes, ad quos spectat Ecclesiæ regimen, & prouidentia, Porta est Christus, & Christi fides, per quam est ingressus in Ecclesiam. Piscinæ sunt Pastores, Doctores, Sacerdotes, quatenus pleni sunt Sacræ Doctrinæ aquā, qua populus Fidelis potatur, & quatenus eorum ministerio habetur per Sacramenta aquæ gratiæ, qua sordes peccatorum abluuntur. 2. De Iusto. Oculi in homine iusto sunt cogitationes Diuinorum, & Diuinæ misericordiæ, æternæ fœlicitatis, æternæ miseriæ, Diuinæ offensæ. Porta multitudinis est voluntas, cuius est recipere, vel repellere cogitationes. Piscinæ sunt pij affectus, qui sæpe prorumpunt in lacry-

lacrymas; prodeuntes à consideratione Diuinorum, qui pij affectus valent ad purgationem animæ, & refectionē. 3. De Deipara: Oculi sunt in Deipara, protectio Fidelium, & misericordia in peccatores. Piscinæ sunt perpetui actus intercessionis, & misericordiæ, quos exercet in Hesebon, idest in Cœlo Deipara pro peccatoribus ad Deum. Porta multitudinis sunt Christi merita, per quæ intrat in Cœlum ad Dei visionem omnis multitudo Electorum. Fundatur autem in Christi meritis, & intercessio, & misericordia Beatæ Virginis.

℣. 4. *Nasus tuus sicut Turris Libani, quæ respicit contra Damascum*. Verba. Nasi perfectio laudatur. Sensa 1. De Ecclesia. Nasus in Ecclesia sunt Prædicatores, quatenus per eos nobis virtutum odores, & vitiorum fœtores indicantur. Turris rationem habent Prædicatores in Libano fundatæ; quia per eos plebem Fidelium protegit, ob meritis Christi, Turris contra Damascum respicit, quatenus prædicatores in mundanos inuehunt, & abolere

lere peccata nituntur. Damaſcus ſanguinem ſignificat, ſanguis autem peccati ſymbolum eſt. Naſus etiam in Eccleſia ſunt Doctores, & Prælati, quorum eſt de vera, falſaque doctrina iudicare. Damaſceni, Hæretici ſunt, & omne genus infidelium. 2. De Iuſto. Naſus eſt Prudentia, ſiue recta ratio agendorum, quæ eſt Turris Libani, propter rectitudinem puræ intentionis, quia homo iuſtus ſincerè Dei gloriam, & Diuinam voluntatem in omni opere, quærit. Libanus dealbationem ſignificat. Nares in naſo ſunt duo actus rectæ rationis, Deliberatio, & Electio: quibus iuſtus abſtinet à malo, & proſequitur bonum. Damaſcus ſunt vitia, & omne genus tentationum. 3. De Deipara. Naſus vt Turris in Libano eſt Deipara Eccleſiam protegens, quæ eſt in Chriſti ſanguine per Baptiſmum dealbata. Turris altiſſima ratione dignitatis, Matris Dei. Turris Libani, ideſt dealbationis, quatenus in Virgine cum maternitate, perfecta Virginitas coniuncta eſt. Damaſcus ſunt omnes hoſtes Eccle-

ſiæ

siæ à quibus Beatæ Virginis patrocinio defendimur.

℣. 5. *Caput tuum vt Carmelus; & coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Verba. Pulcherrimus capitis ornatus laudatur. Sensa. 1. De Ecclesia: Caput Sponsæ, vt Carmelus est Iesus Christus, nam habet rationem capitis in vtraque Ecclesia Militante, ac Triumphāte; habet se, vt Mons Carmelus. tum ratione summæ perfectionis secundum Diuinitatem, tum ratione summæ, dignitatis, tum regiæ tum Sacerdotalis secundū Humanitatem. Habet se vt Carmelus abundans omnibus bonis, tum increatis, ratione Diuinitatis, tum creatis ratione Humanitatis, plenæ gratia, scientia, virtutibus. Comæ capitis sunt Christi contemplatio, oratio, actiones, prædicatio, miracula: vel Apostoli, Discipuli, Martyres, Religiosi, Mortificati. Purpura sunt passiones, & ardens Charitas erga Deum, & Homines. Canales sunt Christi vulnera, Christi Sacramenta. 2. De Iusto. Caput Iusti, Mens, ea se habet vt Car-

Carmelus alta, ratione Contemplationis Diuinorum, nemorosa ratione Sacræ Doctrinæ, & Virtutum gratiam comitantiũ. Comæ Capitis sunt actiones, & opera, quæ oriuntur ex Contemplationis plenitudine, ea sunt quasi purpura, tum ratione immensæ charitatis, tum ratione mortificationis, Christi passiones imitantis. Canales sunt Sacræ Scripturæ, & Christi vulnera, ac Sacramenta, quibus canalibus nostra opera allegantur; quatenus nolumus nostrorum operum regulam esse aliam, quam Sacram Diuinarum Scripturarum Doctrinam, & quatenus omnia bona opera in Christi meritis fundantur, & quatenus principium bonorum operum. est gratia, quam nobis Deus cõmunicat per Sacramenta. 3. De Deipara. Caput Deiparæ, Dignitas Matris Dei, quam comitabantur gratia, sapientia, virtutes omnes in maximo gradu. Comæ, Contẽplatio perpetua, & opera meritoria Purpura Regis vincta canalibus, perpetua Virginis compassio, erga filium moriturum, & mortuum, & vaticinatus fuerat

Simeon.

Simeon. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

℣. 6. *Quam pulchra est; & quam decora carissima in delicijs.* Verba. Summatim Sponsæ pulchritudo laudatur. Sensa. 1. Deliciæ Sponsæ, sunt Sacræ Scripturæ, quarum Contemplatio delectationem, maximam præbet: ex Contemplatione, autem actiones rectæ procedunt: quibus anima pulcherrima redditur. 2. Deliciæ sunt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini; ex quo cibo habetur gratia, admirabilis pulchritudo, similitudo Diuinæ pulchritudinis. 3. Deliciæ ingentes beatæ Virgini fuerunt, cum in vtero Verbum Diuinum concepit, cum peperit, cũ lactauit. Immensè pulchra facta est in, his delicijs, ratione Maternitatis, & ratione gratiæ, & supernaturalium ornamentorum, quę Verbum Diuinum ei prębebat, quod eius Mater esset. 4. Delicię sunt Ecclesiæ Triumphanti, Dei visio, & fruitio, quod bonum comitatur in Beatis, pulchritudo gratiæ, & luminis gloriæ, & scientiæ, & virtutum infusarum. 5. Deliciæ

liciæ ſunt homini iuſto , virtutes , & puræ intentio , ex his enim exiſtit animi pulchritudo .

℣. 7. *Statura tua aſſimilata eſt, palmæ; vbera tua botris.* Verba . Laudatur Spõſæ ſtatura , & vbera . Senſa ſunt . 1. De Eccleſia . Palma eſt Eccleſia , tum quia in inferioribus aſpera eſt , ratione perſecutionũ, in ſuperioribus pulchra, & ſuauis ratione præmiorum , quæ expectat in Cœlo; tum quia reſiſtit Eccleſia perſequutionibus, vt palma ponderi , & ſemper ex ſuis bellis victoriam reportat , tum quia excelſam Eccleſia, quaſi palmæ ſtaturam habet ratione prꝗſtantiſſimæ doctrinæ , quam docet . Vbera Eccleſiæ ſunt duo Teſtamenta vetus , & nouum , è quibus tanquam à botris hauritur vinum Diuinæ Doctrinæ , tum duo præcepta charitatis , quæ fontes ſunt vini bonorum operum æternæ fꝗlicitatis meritoriorum. Tum duo ſpecies Sacramentales panis, & vini, per quas Chriſti corpore, & ſanguine cibamur . 2. Palma eſt homo iuſtus , tum quia vt Palma tenuis eſt in radice , & trun-

& trunco, lata in vertice; ita Iustus ad perfectionem erigitur ex humilitate, ac patientiæ austeritate; tum quia iustus habet ex Diuina gratia, vt oneribus tentationum non cadat; tum quia vt Palmæ semper viriditatem conseruant: ita iustos quantum est ex parte Diuinæ gratiæ, semper in viriditate virtutum perseuerat. Vbera iusti sunt duæ Vitæ Actiua, & Cōtemplatiua. Altera iustus se ipsum, altera actiua suos proximos pascit. 3. De Deipara. Statura, idest Perfectio Deiparæ assimilata est palmæ, idest, Christo, tum secundum imitationem virtutum, tum secundum comparationem cruciatuum. Vbera Beatæ Virginis sunt eius in peccatores misericordia, & eius pro eisdem ad filium Intercessio, quæ botris assimilantur, quatenus peccatores potant vino consolationis, & spei.

℣.8. *Dixi: Ascendam in palmam, vt apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua, sicut botri vineæ, & odor oris tui, sicut malum malorum.* Verba. Laudatur Sponsæ fœcunditas. Sensa sunt. 1. Ascensus in pal-

in palmam, est vnio Christi cum Ecclesia per Fidem, & per Gratiã, ad quam vnionem consecuti sunt fructus, idest, Fideles Ecclesiæ filij, & vbera Sacræ Doctrinæ, & Sacramentorum, & odor bonæ Vitæ, & Prædicationis. 2. Sponsi ascensus in palmam, est Christi ascensus in Crucem, qua vicit Christus Diabolum, mortem, peccatum. Fructus sunt omnia bona, quæ Christus nobis per Crucem meruit. Vbera sunt duo præcepta Charitatis, quæ suo exemplo in Cruce moriens Ecclesiæ indidit. Odor malorum est bona Vita Sanctorum ad imitationem Crucifixi. Ascendit Sponsus in palmam, cum Christus vnitur Sacramentaliter animæ iusti per Eucharistiam. Fructus sunt bona opera, gratia, & vita ęterna, quæ sunt Eucharisticę vnionis effecta. Vbera sunt Charitas in Christum, & in proximos, quæ per Vnionem Eucharisticam augetur. Odor malorum est gratiarum actio pro tanto Christi beneficio. 4. Ascendit Verbum Diuinum in palmam, cum in Incarnatione Verbi Spiritus Sanctus Vir-

ginem

ginem obumbrauit, ex ea obumbratione consecutus est fructus ventris Virginei Iesus Christus, & beata Vbera lactantia Filium Dei, & odor amoris, quo beatum os Virginis osculabatur Filium Dei.

℣.9. *Guttur tuum, sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad putandum, labÿsque, & dentibus illius ad ruminandū.* Verba. Oris halitus, vel verborum suauitas laudatur. Sensa. 1. Guttur Sponsæ, est Doctrinæ Sacræ prædicatio, quæ exhibet Ecclesiæ, quæ se habet vt vinum suauissimum inebrians, & somnum inducens; quatenus Doctrina Fidei, & iucundissima est, & retrahens animum à sensu temporalium, & trahens ad amorem, & Contemplationem Cœlestium. Potat vinum Christus per suum Corpus mysticū, quatenus doctrinam Fidei Populus Christianus, libenter audit, & accipit. Ruminat quatenus perfectiones, qui sunt in Ecclesia Sacræ Doctrinæ Contemplationem incumbunt. Labia Sponsi sunt Prędicatores, dentes sunt Doctores. 2. Guttur sicut vinum optimum est oratio ho-

minis iusti, quatenus sit deuotè, & non solùm ore, sed etiam mente, quæ proinde gratissima Deo; ideo dicit dignum dilecto meo ad potandum.

℣.10. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*. Verba. Mutuus amor inter Sponsum, & Sponsam. Interpretationem vide c.2. ℣.16.

℣.11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoramur in villis.* Verba. Congredi Sponsa cum suo dilecto cupit, seorsum ab alijs. Sensa sunt. 1. Inuitat vetus Synagoga, veteres Patres, vt à sinu Patris, & Cœlesti Ierusalem descendat per Incarnationem in terras. 2. Inuitat noua Ecclesia, primi Christi Discipuli, Christum, vt nolente Synagoga eum recipere, transitus fiat, Euangelicæ prædicationis ad Gentes. Implorat Anima, Dei auxilium, pro recessu à curis sæculi, & pro accessu ad solitudinem Contemplationis & ad Vitam Cœnobiticam, & ad studium Sacrarum Scripturarum.

℣.12. *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt*

turiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea. Verba. Eamus inquit Sponsa ad vineas. Sensa. 1. De Ecclesia. Primitiua Ecclesia, ideſt, primi Christi discipuli, post mane Dominicæ Resurrectionis, facto principio prædicandi ad Gentes, & fundatis multis Ecclesijs præcatur Christum, vt ipse sua prouidentia Ecclesias inuisat: ipse floribus incipientium, prospiciat, nempè Neophitorum fidem amplectentium, ipse fructuum productioni consulat, ideſt, suis auxilijs iuuit ad benè operandum; ipse Martyribus fortitudinem præbeat ad fundendum pro eius Fide sanguinem. In fundatis Ecclesijs pollicetur Sponsa sua vbera, ideſt multitudinem Doctorum, & Prædicatorum, & frequentia Sacramenti Corporis, & sanguinis Christi, & opera charitatis. 2. De Iusto, & Operario Euangelico. Mane; diligentiam significat, qua debet Iustus in sui examen incumbere, cum Dei auxilio. Inquirere debet, an verè in animæ potentijs flores virtutum sint, an sit fructus operum, an vigeat Charitas in

proximos. Hæc eadem debet Euangelilicus Operarius considerare in proximis, quorum curam suscepit, vt eos iuuet. Vbera sunt Intellectus, & Voluntas, quæ Sponso exhibentur, cum tota intelligentia, & totus amor in Christi seruitio ordinatur.

℣. 13. *Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi*. Verba. Collectas ex hortis Mandragoras, & poma noua, & vetera offert Sponsa Sponso. Sensa. 1. De Ecclesia. Mandragoræ sunt viri perfecti, qui fundunt odorem bonorum operum, & suo exemplo, & verbis medentur morbis imperfectorum. Apostoli, qui per totum mundum odorem Fidei sparserunt, & Sacramentis medicinam animis attulerunt. Poma noua, & vetera, sunt Iusti, Noui, & Veteris Testamenti; quæ Sponsa seruata, quatenus omnis eorum iustitia Christo tribuenda, quia per Christi merita saluantur, quicunque saluantur: vel, Poma noua, & vetera sunt Scripturæ noui, ac veteris Testamenti,

quæ

quæ Sponſo ſeruantur, quatenus ad Chriſtum referuntur, ſiue vt Prophetiæ, & figuræ de Chriſto venturo, vetus teſtamentum: ſiue, vt hiſtoriæ iam de Chriſto Incarnato, & paſſo, vt eſt Teſtamentum nouum. De Iuſto. Mandragoræ ſunt virtutes heroicæ, ac ſolidæ, quæ ſunt in Iuſto, quales ſunt Humilitas, Obedientia, Charitas, quæ Virtutes cum in opere bono coniunguntur, præclarum Chriſto Sponſo odorem exhibent. Maximè enim placet Chriſto opus bonum, cum in eo per humilitatem non quærimus noſtra commoda, ſed per charitatem, Dei gloriam, & per obedientiam obſequium Diuinæ Voluntatis. Portæ ſunt animæ potentiæ, poma, potentiarum actus. Poma vetera ſunt actus Naturæ, quæ præcedunt gratiam. Poma noua ſunt actus ſupranaturales ex gratia procedentes. Poma noua, & vetera Chriſto ſeruantur, cum tum naturales, tum ſupernaturales actus ad Chriſtum referuntur ad eum timendum, ad eius notitiam propagandam.

CAPVT VIII.

℣. 5. *Quis mihi det fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, et deosculor te, et iam me nemo despiciat.*

VErba. In Sponsi amplexum inhiat castum vt sororis cum fratre puerulo. Sensa. 1. De Ecclesia. Optant Veteres Patres Incarnationem Verbi, Filium Dei hominem fieri, & de sinu Patris in Vterum Virginis descendere. Optant cessationem vmbrarum, & figurarum; cupiunt videre ipsam veritatem, Verbum Diuinum in carne. Optat Ecclesia primitiua prodire Christi fidem è Synagoga ad gentes. Optat Ecclesia quotidie Iesum Christum secundum suam substantiam è Cœlo in Terram descendere in Sanctissimum Eucharistię Sacramentum; ex quo habetur osculum Eucharisticæ vnionis cum Christo. Cupiuit Ecclesia Christum Sponsum egredi foras extra Ierusalem, in Calua-

Caluariæ montem, vt ex effoſso Chriſti latere naſcens, eum fide complecteretur, & charitate. 2. De Anima Iuſti. Debet Anima ardere vehementi deſiderio inueniendi Ieſum per cōtemplationem foris, ideſt relictis curis temporalium, & foris, ideſt contemplando ea; quæ paulò ante, n. 1. dicta ſunt. Myſteria Incarnationis, prædicationis, paſſionis, Euchariſtiæ, &c. Inuenit ſugentem vbera matris ſuæ, quatenus eum contemplatur, vt hominem verum. Mater noſtra, Natura humana; Mater noſtra B. Virgo, quæ Mater eſt Dei, qui Pater eſt noſter; oſculatur, quatenus amore Chriſto vnitur. Non deſpicitur, ſed honoratur, quatenus ex Chriſti vnione per amorem ſit fœcunda bonorum operum, per quæ cœleſtem gloriam adipiſcitur. 3. De Deipara. Chriſtum B. Virgo foris inuenire cupiebat, cum virgineũ partum expectabat. Oſcula Virginis ſunt materna erga Chriſtum obſequia. Mater Virginis, tum Natura humana, tum Synagoga, cuius vbera Chriſtus ſuxit, tum quatenus à Iudaico populo carnem ſum-

psit, tum quatenus prophetias impleuit, & legibus paruit, quæ apud Synagogam erant.

℣. 2. *Appræhendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum*. Verba. Ait, se suum Sponsum, tanquam puerulum introducturum in domo matris suæ, cum eo familiariter acturam, eum potaturum. Sensa. 1. De Ecclesia. Mater Ecclesia, vetus Synagoga, vt paulò ante dictum est. Loquitur Synagoga Iustorum in primis B. Virgo. Ego te incarnatum complector & introducam in Iudęam, quę est Domus Synagogæ Matris meæ. Ibi tu predicando docebis me pręcepta vitæ. Ego autem propinabo tibi bona opera, quæ patrabunt conuersi ad tuam fidem: quæ sunt vinum charitate conditum. Propinabo mustum malorum granatorum, idest sanguinem innumerabilium Martyrũ, quem pro Fidei suæ veritate effundunt. 2. De Eucharistia; loquitur anima Iusti. Introducam te, Iesum in pectus meum, quod est do-

eſt domus matris meæ, ideſt Naturæ. Ibi me docebis ideſt intelligere facies infinitã bonitatẽ tuam, exhibentem mihi in cibũ omne Bonum. Ego propinabo tibi vinũ, & muſtum actionis gratiarum, & laudis & charitatis: 3. De cœleſti fęlicitate. Vox iuſti optantis oſculum Viſionis Beatæ, foris, ideſt extra hęc viſibilia: Ducam te in domum matris meæ. Comitabor te redeuntem in Cœlum poſt diem iudicij. Ibi me docebis, reuelabis faciem tuam, tuam Diuinitatem; ego prębebo tibi vinum laudis, & muſtum dilectionis. 4. De Contemplatione. Domus iuſti eſt mens, Mater Iuſti, gratia. Introducitur Chriſtus in mentem per Contemplationem charitatis Chriſti. Propinatur Chriſto vinum conditum piarum cogitationum, & muſtum granatorum, ideſt deſideria moriendi pro Chriſto.

℣. 3. *Leua eius ſub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. Explicatur cap. 2: ℣. 6.

℣. 4. *Adiuro vos filiæ Hyeruſalem, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectum,*

donec

donec ipsa velit. cap. 2. ℣. 7.

℣. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit do deserto, delicijs affluens innixa super dilectum suum*. Verba. Sponsæ ex agro venientis comitatum, & ornatum Adolescentulæ mirantur. Sensa. 1. De Ecclesia. Vt vetus Synagoga, Deo Comite, ac Duce, ingressa est in deserto in Terram Promissionis; ita Ecclesia ex gentibus congregata, adhęrens Christo per fidem, eius meritis, eius auxilijs innixa, candida reddita per gratiam baptismalem, & floribus ornamenta virtutum, ac bonorum operum, è deserto infidelitatis, & statu peccati; progreditur ad cęlestem Hyerusalem; ad æternam fœlicitatem ex huius vitæ miserijs. 2. De Anima Iusti. Ea Deo vocante è statu peccati, & ex cogitationibus mundanis progreditur ad contemplationem æternorum, & ad spem Vitæ æternæ fœlicitatis. Ea per gratiam iustificantem reddita habilis ad merendum, progreditur ad exercitium bonorum operum, innixa super dilecto, sperans in Christi bonitate, & meritis; & soli Christo amore infi-

infixa. Delicijs affluens consolatione Sacrarum Scripturarum, & refectione Eucharistici Sacramenti. 3. De Deipara. Admiratur vtraque Ecclesia Militans, & Triumphans, tum Beatæ Virginis perfectionem, progrediens de virtute, in virtutem, & ad immensos meritorum gradus ascendentis, tum delicias, idest, gratia, & ornamenta virtutum, & scientiæ, ei à Deo infusa ab instante conceptionis; tum adhęsionem ad dilectum, quatenus per humilitatem omnem suam perfectionem Deo, vt auctori tribuebat, & suam ei voluntatem semper subijciebat; quatenus ei semper amore iuncta: quatenus maternitatis vinculo cum eo coniuncta.

℣. 6. *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genetrix tua*. Verba. Commemorat Sponsus beneficium exhibitum Sponsæ, vt eam in suam Sponsam eligeret. Sensa. 1. De Ecclesia. Arbor mali Sancta Crux, in qua Christus malum suauissimum pependit. Per Crucis virtutem, & in ipsa Cruce fundata est Ecclesia, in Christi Sponsam

ſam ſub ipſa Cruce, negantibus Iudæis Chriſtum, corrupta eſt, deſijt eſſe Dei Sponſa Synagoga. 2. De Iuſto ſub arbore mali Iuſtus è peccato in gratiam recipitur, & in Sponſam Chriſti, quatenus per eius paſſionem, per ſignum Crucis, habet remiſſionem peccatorum. Sub arbore corrupta eſt Eua mater noſtra, comedens ex fructu à Deo prohibito, & iuſtitiam originalem amittens, & pœnam recipiens, pariendi cum dolore. De Deipara. Sub arbore malo ſuſcitata eſt Beata Virgo per merita Chriſti morituri præſeruata eſt, ne in maculam originalis culpæ incurreret. Deiparæ autem genitrix, Natura humana pomi noxialis morſu in necem ruit.

℣. 7. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſupra brachium tuum.* Verba. Amorem exigit Sponſus à Sponſa, & grati animi in memoriam. Senſa ſunt. 1. Pro tot beneficijs in nos collatis, grati erga ipſum animi officia requirit Ieſus Chriſtus, vult in noſtra mente eſſe memoria ſuorum beneficiorum præſertim

Redem-

Redemptionis, & horum Contemplatione quantum fieri poteſt, aſſiduam;vult maximè vigere in noſtra voluntate amorem erga ipſum. Vt nō irrepat aliarū rerū amor, niſi propter ipſum. Vult in brachio noſtrorum operum imaginem imprimi Crucifixi, vt ad eius imitationem fiant,& vt in ijs humilitas, obedientia, charitas eluciat; quæ maximè eluxere in operibus Chriſti. 2. Signaculum cordis, eſt Fides in Chriſtum, & Baptiſmus. Signaculum eſt Euchariſtia. His ſignaculis Chriſtus ſuos electos ſignat ad Vitam æternam. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; & niſi manducauerimus carnem filij hominis, non habebimus vitam in nobis.

℣.7. *Quia fortis eſt vt mors dilectio: dura ſicut infernus eſt emulatio. Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Verba. Exigitur ſigillum amoris tam altè infixum, vt ab amore ſeparare animum nulla vis queat, neque mors ipſa. Senſa. 1. De Eccleſia, & anima iuſti. Ideo Deus exigit à nobis in noſtris cordibus, ac actio-

actionibus sigillum suorum beneficiorũ, quia memoria diuinorum beneficiorum excitat amorem erga Deum. Amor autem in Deum summum Bonum eosdem effectus facit, quod facit Mors; separat enim ab omnibos temporalibus; & à se ipso, Firmiter adhæret Deo, neque ab eo vult separari, quicquid accidat aduersi. Ardet Diuinæ gloriæ desiderio, & salutis Animarum. 2. De Christo. Potest hæc verba dicere Christus de se ipso. Vult eius memoriam in nostris animis, & actionibus semper esse, vt grati simus eius dilectioni, quæ in eo fuit vt Mors, quia induxit illum in Cruce, pro nobis mori. Dum fuit vt Infernus, quatenus pro nonobis durissimos cruciatus pertulit, vt ab inferni igne perpetuo liberaret. Carbones ignis fuerunt in Christo vehementes actus charitatis in homines. Potest etiam emulatio sumi pro Iudeorum inuidia, & ira, & odium in Christum, quæ causa fuit cruciatuum, & mortis Christi. 3. De Christo vindice. Exigit Christus ab Anima grati erga ipsum animi significa-

ficationem, vt ipsum amet ex toto corde, & eius præcepta exequatur actione. Si id non fecerit minatur mortem æternã, quæ ei debetur, quod Diuinæ dilectioni non responderit; minatur Infernum, vt ignis æterni cruciatum. 4. De Eucharistiæ Sacramento. Exigit Christus à nobis suum Corpus, & Sanguinem recipi in Euchariſtiæ Sacramento, eique tanquã sigillo vniri; vt custodiantur, ne in peccatum cadant cogitationes, & opera nostra. Ait hanc dilectionem, qua se ipsã nobis Christus præbet in cibum esse fortem vt mortem, tum quia facit sub speciebus panis, & vini desinere, & quasi mori substantiam panis, & vini: tum quia mortem Christi repręsentat, quæ fuit fortissima contra Diabolum, peccatum, & ipsam mortem. Ait hunc amorem similem esse inferno: quatenus dum Eucharisticum Sacrificium consumitur Christi sepulchum representatur, & descensus ad Inferos.

℣. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec Flumina obruent illam.*

illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Verba. Exigit Sponsus à Sponsa amorem erga se constantem, & inuictum. Sensa. 1. De Ecclesia. Aquæ, & flumina respectu Ecclesiæ sunt persecutiones, tentationes, tribulationes, hęresses, quæ nunquam potuerunt Ecclesiam à Fide Christi diuertere, & extinguere charitatem. Substantia domus, est Anima, ac vita, tot millia Martyrum, qui pro Fidei veritate tuenda sanguinem fuderunt, apertè testantur se nihili fecisse iacturam vitæ pro dilectione. 2. De Iusto. Substantia omnis sunt tria bona hominis externa, corporis, voluntas: quibus bonis se abdicant Religiosi voto paupertatis, castitatis, obedientiæ: vt amorem erga Deum illibatum seruent. 3. De Christo. Aquæ, & flumina respectu Christi fuerunt persecutiones, odia, inuidia Iudeorum, Mors Christi; quæ non potuerunt charitatē Christi extinguere: omnis substātia domus respectu Christi est Verbum humanitati hypostaticè vnitum,
quod

quod Chriſtus tradidit pro nobis in mortem. Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem Crucis. Eam Chriſti ſubſtantiam ſpreuerunt Iudei, negantes Chriſtum eſſe Deum, & blaſphemantes, & crucifigentes, & irridentes. Spernunt hæretici, qui negant in Euchariſtiæ Sacramento eſſe ſubſtantialiter Corpus, & Sanguis Chriſti.

℣.8. *Soror noſtra parua, & vbera non habet; quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt.* Verba. Init Sponſus conſilium cuſtodiendæ Sponſæ adhuc paruulæ, ne ab amatoribus decipiatur. Senſa. 1. De Eccleſia primitiua. Parua fuit Eccleſia ante aduentum Spiritus Sancti; Vbera non habebat, quia non erant Prædicatores, & Doctores. Chriſti Diſcipuli non audebant loqui timore perterriti, latebant. Dies allocutionis fuit dies Pentecoſtes, cum acceperunt Diſcipuli donum linguarum, & prædicationis, fuit allocutio Iudęorum, & principum Chriſti perſequentium, in-

terrogatio de Christi doctrina. Fuerunt minæ cruciatuum, & mortis, nisi Christum abnegarent, ac desererent. De Anima fideli. Sponsa parua est Anima incipientis vitam spiritualem, non dum habens vbera Contemplationis, & actionis; non dum habens vbera turgentia Charitatis in Deum, & in proximos. Dies allocutionis est tempus tentationis, est dies extremi Iudicij.

℣. 10. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis.* Verba. Multiplicat Sponsus munimina ad Sponsæ custodiam. Sensa. 1. De Ecclesia. Murus est ratione Fidei Christianæ, qua contra hostium incursus munitur. Murus fortissimus est Fides, quatenus nititur verbo Dei, qui nec falli potest, nec fallere. Propugnacula ex argento, quæ tuentur Ecclesiam, sunt Pastores, Prædicatores, Doctores, in quibus est doctrina Sacrarum Scripturarum; quæ quasi argentũ se habet, ratione præstantiæ, & puritatis. Propugnacula sunt Miracula, Martyria,

Vitæ Sanctitas, & alia signa, quæ Fidem Christianam reddunt euidenter credibilem, ac proinde, contra omnes infideliũ, & sectarum errores eam tuentur. Ostium est ipsa Ecclesia, & ipse Christus, vt in singulis dictum est. Cedrinæ Tabulæ, Traditio Apostolica. Decreta Sacrorum Conciliorum, ac Summorum Pontificũ, sententia communis Sanctorum Patrum. Horum doctrina semper eadem, & incorrupta. 2. De Iusto, & Operario Euangelico. Murus in Iusto est gratia, quæ ex se stabilis est. Propugnacula argentea sunt virtutes infusæ, tum Theologales, tum Morales, & Dona Spiritus Sancti; Ostium est Operarius Apostolicus ratione ministeriorũ Prædicãdi, & Sacramenta ministrandi; per quæ aditus aperitur ad Ecclesiam, tum Militantem, tum Triumphantem. Tabulæ Cedrinæ sunt exempli Christi, & Sanctorum, quos imitari debet Operarius Euangelicus.

℣. 11. *Ego murus: et vbera mea sicut Turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Verba. Profitetur Sponsa se

Sponſo benefico ſatis paratam ad alios amatores repellendos. Senſa. 1. De Eccleſia. Murus eſt Eccleſia ratione Fidei, & Diuinæ protectionis, vt verſu 9. dictum eſt. Murus quatenus diuinis lapidibus, & electis, ideſt, Sanctis ædificata. Vbera ſicut turris ſunt in Eccleſia Doctores, & Eccleſiæ miniſtri. Sunt Corpus, & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ſunt duo Teſtamentum, Vetus, & Nouum. Sunt Doctrina, & Exemplum. Reperit Eccleſia pacem coram Deo, cum in Cruce reconciliata cum Deo eſt per ſanguinem Chriſti, cum in die Pentecoſtes confirmata eſt in gratia per Spiritum Sanctum, qui effuſus eſt abundè. 2. De iuſto. Murus eſt iuſtus, ratione gratiæ iuſtificantis, quæ ex ſe ſtabile bonum eſt, adducens auxilia ſufficientia ad nunquam præſtandum aſſenſum ad peccandum mortaliter. Vbera ſicut Turris, ſunt Iuſto, Charitas in Deum, ac proximos; ſunt Contemplatio, & Recta Actio. Pax cum Deo reperta eſt in iuſtificatione, & per Sacramentum Baptiſmi, & Confir-

matio-

mationis. 3. De Deipara. Est murus Deipara, quatenus Ecclesia, ac sibi deuotos suo apud Deum patrocinio tuetur. Vbera sunt Virginis in nos pietas, & misericordia, pacem coram Deo reperit B. Virgo, cum in vtero concepit mediatorẽ, inter Deum, & Homines.

℣. 11. 12. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, tradidit eam custodibus, uir affert pro fructu eius mille argenteos, vinea mea, coram me est, mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus eius*. Verba. Ostendit Sponsa quanti faciat Sponsum, nolle se alia præter ipsum, nec ipsã vineam pretiosissimam, quam Sponsus offerebat. Sensa. 1. De Ecclesia. Vinea pacifici, idest; Iesu Christi est Ecclesia, quæ cœpit ab Abel iusto, habens populos, est Ecclesia quatenus est Catholica, Fideles. cuiusque gentis, & conditionis, & temporis admittens. Custodes vineæ fuerunt olim Patriarchæ rectores, & Prophetæ, deinde Apostoli, Episcopi, Doctores; Fructus vineę. Ipse Christus, qui à Synagoga productus est secundum car-

nem,& nunc producitur in mentibus hominum à Prędicatoribus ſecundum fidem,& à Sacerdotibus ſecundum corpus & ſanguinem in Eucharistia, & per Sacramenta ſecundum gratiam, quæ eſt imago Chriſti, mille argentei ſunt omnia hominis bona, omnis ſubſtantia, ipſa vita: horum iactura facienda eſt, vt Chriſtum lucrifaciamus. Vinea coram Sponſa ſunt Fideles, quorum regimen, & prudentia eſt penes Eccleſiam. Argentei, qui penduntur pacifico, ſunt omnia bona noſtra,quæ in Chriſti ſeruitio offeruntur, & ipſi vt auctori tribuuntur, & omnia bona opera, quæ pro eius gloria patrantur. Ducenti Argentei, qui redduntur ijs, qui cuſtodiant fructus vineæ, ſunt bona gratiæ, & bona gloriæ,quæ in mercedem tribuntur ijs,qui pro Eccleſię bono laborant, pro Eccleſiaſticorum Dogmatum conſeruatione, pro bonorum operum propagatione. 2. De Homine iuſto. Vineam pacifici, eſt anima iuſti in Eccleſia; Cuſtodes Vineæ ſunt Angeli, quibus Deus mandauit de Iuſto, vt

custodiant fructus vineæ; sunt exercitium virtutum, & operum æternæ vitæ meritoriorum. Mille Argentei qui offeruntur ad habendum vineæ fructum, sunt Vota, vel affectus Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ Euangelicæ, qui reddit animum expeditum ad exercitium bonorum operum. Vinea coram Sponsa, est diligentia, quam Iustus adhibet in animo excolendo, & custodiendo, Vinea est coram Sponso, quatenus Iusti Deus peculiarem prouidentiam habet. Mille argentei qui penduntur pacifico, sunt vota, & affectus, vt paulò ante dictum est, est pura intentio in omni opere referendo. Ducenti Argentei, qui soluuntur Custodibus fructus vineæ sunt duo perfecta bona, quæ in mercedem tribuuntur ijs, qui Christi seruitio se mancipant; nempè centuplum Euangelicum in hac vita, & in futuro sæculo Vita æterna.

℣. 13. *Quæ habitas in hortis, amici ascultant, fac me audire vocem tuam.* Verba. Cupit Sponsus audire vocem Sponsæ. Sensa. 1. De Ecclesia Græca, Aethio-

pica, Brittannica, Germanica, in quibus habitat Ecclesia Catholica, & Vniuersalis ratione Iurisdictionis, quam habet Romanus Pontifex in omnes Ecclesias, vt Christi Vicarius: vel Horti sunt Virtutes in quibus se Ecclesia exercet, Amici, qui ascultant sunt Fideles desponsati per fidem Christo, illi obediunt, vt ab eo dilecti ratione gratiæ. Vox Sponsæ est Sacra Prædicatio. 2. De Iusto. Horti sunt Sacræ Scripturæ, Fidei Mysteria, in quibus Iustus habitat per Contemplationem. Amici qui ascultant sunt Angeli, & Ciues Cœli. Vox est Oratio, quam Iustus fundere ad Deum debet pro se, & pro suis proximis; sunt Diuinæ Laudes, & confessio peccatorum. 3. De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Horti sunt Sacræ Scripturæ; species Sacramentales, & Corpus, & Sanguis Iesu Christi, in quibus habitat, qui Eucharistiæ Sacramentum frequentant. Amici qui ascultant sunt Angeli, quorum semper maxima multitudo præsens Eucharistiam veneratur. Vox est gratiarum

actio,

actio, quam exhibere debet Christo, qui Eucharistiam percipit pro tanto beneficio. 4. De Deipara, horti sunt Diuina Mysteria, præsertim Incarnatio Verbi, & Passio, in quibus perpetuo Virgo habitabat per Contemplationem. Amici, Christi Discipuli. Vox, instructio, quam Beata Virgo discipulis tribuit post Christi ascensionem in Cœlum, vel vox Virginis, pro nobis intercessio.

℣. 14. *Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnuloque Ceruorum super montes aromatum*. Verba. Inuitat Sponsam ad montes aromatum, vt ibi eius amplexu fruatur. Sensa. De Ecclesia. Dixerat Sponsus, *Fac me audire vocem tuam*; vocem prędicationis. *Euntes in mundũ vniuersum, prædicate Euangelium omni Creaturæ, etc.* Sponsa, idest, Ecclesia, respondet se id facturam, postquam Christus ascenderit ad montes aromatum, idest, in Cœlum, *Nisi ego abiero paraclytus non veniet ad vos*. 2. De Contemplatione. Optabat Christus audire à Contemplatiuo vocem laudis. Respondet, vt acceleret eri-

pere suam animam ex ergastulo corporis & secum in Cœlum ducat: ibi perpetuas laudes ei cantaturum, audientibus Angelis, vel vt se transferat in cętum Religiosorum ibi ei Religionis vota nuncupaturum, idest obsequiturum. 3. De Iusto. Demisse de se Iustus sentiens, respondet Christo, vt à se recedat, quod dignus non sit huius modi consortio. Recede à me Domine, quia homo peccator ego sum, eat ad montes aromatum ad corda Sanctorum, quæ spirant odorem virtutum & bonorum operum; vel respuit eum laudare, quod eius perfectio sit incomprehensibilis, & omnem creatum intellectum excedens. Montes sunt infinita eius pulchritudo, sapientia, bonitas, &c. 4. De Eucharistiæ Sacramento. Anima ad Eucharisticam Christi præsentiam, post gratiarum actiones, iam consumptis speciebus panis, ac vini, desinente Christo esse pręsens, secundum substantiam sui Corporis, & Sanguinis loquitur Christo. *Fuge.* Reuertere in Cœlum, & iterum venias, & suo amplexu quotidiè fruar, & no-

& nouam à te semper gratiam recipiam, per sacratam Eucharistiæ sumptionem, quam iterare non possum, nisi tu à meo pectore recedas. 5. De Deipara. Exegerat Deus de Virgine per Angelum Gabrielem vocem consensus ad Incarnationem Verbi. Concessit Virgo. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* nempè idem fuit quod dicere. Accelera dilecte, veni citò super montes aromatum super mea viscera, super me ipsam, in qua sunt quasi mõtes spirantem suauissimum odorem perfectissimæ virtutis Virginitatis, Humilitatis, Obedientiæ, Charitatis.

LAVS DEO.



IN-

INTERPRETATIO
CANTICI
CANTICORVM:
SALOMONIS.

Quod totum est mysticum plenissimum incomprehensibilis amoris Christi erga Sponsam suam, ac vicissim Sponsæ erga Christum Sponsum.

RO-

ROMAE.

Ex Tipographia Philippi Mariæ Mancini.



M. DC. LXIX.

SVPERIORVM LICENTIA.

